

BIBLIOTHECA VON DER
UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT



N. 12b.

PK


1) Chytraeus, D.

acht 2) - 19)

13) 11) - 14) Leichenstein

ly's
7





7

Davidis Chytræi
RESPONSIO
AD ANTONII POSSEVI-
NI ET MYLONII CVIVSDAM
CRIMINATIONES.



U 126

VV I T E B E R G A E,
Excudebant Hæredes Iohannis Cratonis,
ANNO M. D. LXXVIII,

RESERVOIR

AD JANTONI-POSTUMI

IN TEMPLUM VIVIANI

RECTORIS



VITREAE

Carthago Haredes Johannis Carthago

M. D. C. LXXIII



SERENISSIMO ET
POTENTISSIMO PRINCIPI AC
DOMINO, D. IOANNI III. SVECORVM, GOTHORVM,
Vandalorum, aliarumq; gentium orbis
Arctoi amplissimarum REGI, Domi-
no clementiss.

VINDECIM ANNI SVNT,
cum Vienna in Austria aliquot menses
commorans, inter alios labores tum mi-
hi mandatos, Syluulam de statu ecclesia-
rum Græciæ & Asia, ex multorum præstantium viro-
rum, qui partim Græci erant, partim Byzantij &
in in Græcia aliquandiu vixerant, & humanitatis
causa subinde ad nos accedebant, sermonibus diligen-
ter peruestigatam, primùm collegi.

Cum enim fontes Doctrinæ Christi et Apostolorum,
Græcis literis primùm nobis traditos, & ab eloquen-
tissimis interpretibus Basilio, Nazianzeno & alijs,
qui longo post se intervallo, Latinos omnes relinquunt,
illustratos esse: Philosophiam quoq; uniuersam, ma-
themata, artem medicam, et veterum monarchiarum
Historias, nos veteri Græciæ post Deum debere scire: fateor magno & ardenti desiderio præsentis status

A ij Græciæ

R E S P O N S I O

Gracia sub Turcarum Imperio cognoscendi, me accensum fuisse, praesertim cum funditus à Tyranno Turcico Religionem Christianam deleri, & doctrinam ac ritus ecclesiae Christi omnes aboleri & extinguui, vulgo in Germania, & mihi etiam puero persuasum fuisset.

Singulari igitur cum voluptate & letitia, quod antea mihi & multis in hac Germania parte alijs ignotum erat, didici, non libros solum sacrae scripturae & Evangelij Christi in templis Christianorum in Graecia publicè haberi & legi, et ritus à maioribus acceptos servari: verum etiam ordinem & gradus Episcoporum & Patriarcharum veteres, totamq; politicam & iurisdictionem ecclesiasticam, à Turcico Imp. tolerari & defendi, ac, si non puriorem, certè non minus Christianam, quam in Pontificis Romani ecclesia, Religionem, in Graecia, sub Turcarum tyrannide reliquam esse.

Hæc domum in scholam, ad Chronici lectionem reuertens, auditoribus nostris, non, ut Lutheranam doctrinam adstruerem, aut Pontificias aliarumve sectarum opiniones refellerem, & illic, vel alibi dominari ostenderem: sed velut simplicem & nudam presentis status ecclesiarum Graeciae & aliarum gentium historiam

riam, nihil falsi fingens, nec quidquam veri in huius
aut illius gratiam reticens, simplici ac bona fide recita-
ui, μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ δύνων, solam veritatem cum audienti-
um utilitate & oblectatione habens propositam, nec
quidquam minus suspicans, quam post quindecim
annos primum me publicè ὑπεύθυνον fore.

Nunc Antonius quidam Posseninus, ac ^{ἑποφίτης}
illius Mylonius, post tot annos, accusationem Oratio-
nis illius de Ecclesijs Græciæ capitalem, edito libello,
Regiæ Maiestati Tuæ inscripto, instituunt, quibus re-
spondere, DEO iuvante, & veritatem historiarum,
quas Oratio illa exponit, & articulorum doctrina,
quos hareseos & mendacij Posseninus arguit, defen-
dere hoc scripto decreui.

Nec dubito Regiam Maiestatem Tuam tali
gravitate, prudentia & doctrina præditam, in Posseni-
ni & Mylonij libello, R. M. T. dicato, non solum
Orationis proterviam & à Christiana mansuetudine
& modestia alienam scurrilitatem conviciorum, ve-
rùm etiam dogmatum, quæ tuenda novis verborum
prestigijs, ac coloribus pingenda susceperunt, manife-
stam impietatem & vanitatem ex animo improbare
& detestari.

A iij

Vix

R E S P O N S I O

Vix enim ipsa, si loqui vellet, Impudentia, posset impudentius, & perspicuo Dei verbo, ac prima & Apostolica ecclesia testimonijs ex diametro aduersantur dogmata, ideoq; iam dudum ex ecclesijs regnorum tuorum, per sapientem & fortissimum regem Gustauum patrem tuum laudatiss. memoria, explosa & eiecta sunt, pro quibus, tanquam pro aris et focus, hi scriptores acerrimè pugnant: Inuocatio hominum mortuorum: Adoratio imaginum & statuarum: Damnatio coniugij sacerdotum: Sacrificium Missæ propiciatorium pro peccatis, pœnis satisfactionibus & alijs necessitatibus viuorum, et pro defunctis ex purgatorio redimendis: Mutilatio Sacramenti, seu priuatio calicis: Missæ priuata seu solitaria, quæ prosint alijs, pro quibus offeruntur & applicantur, uiuis & mortuis. Quæ omnia catholici isti, ut aiunt, miserati istorum Regnorum in septentrione, ex quibus Religio, & interiores literæ, Apostoliciq; patres in exilium abierint: restitutum iri in hac regna, suis laboribus et scriptis, minimè se dubitare profitentur.

Cùm autem tuæ potissimum Regiæ Maiestati offerre sua illis visum sit: veniam mihi quoq; clementissimè

tissimè dabis, quòd R. M. Tuam cuius animum sua accusazione prauenientes occupare illi voluerunt, me quoq; pari beneuolentia audituram, & tum demum pronunciaturam spero. Non enim patronum mihi hac compellatione, sed in grauissimis controuersijs censorem quero, cuius iudicium, propter doctrinam, rectum: & propter fastigium Regiæ Maiestatis, liberum & æquum fore confido.

Quòd, si me tantum laderet priuatim hac criminatio vel de ingenij, prudentiæ, aut doctrinæ Theologica, quam nullam aut per exiguam in me esse, ipse fateor: adeo etiam si de morum & virtutum laude (quas in sanctis quoq; non valdè ardentes, sed tenues & inchoatas umbras esse scimus) certaretur: prorsus Seueri exemplo. ἐμμελῆς τῶν πρακτικῶν ἀμελῆς δὲ τῶν περὶ ἐμῆ λογικῶν ἰδίων, intentus in ea, quæ sunt agenda: et aliorum de me fabelas negligens: ut multas hæctenus multorum, ex propinquioribus locis me allatrantium, obrectationes & iniurias: ita hæc quoq; conuicia silentio dissimularem & contemnerem. sicut Atticum ciuem legimus, cum in publico foro quidam, audiente populo, omnia in eum maledicta & probra toto die iecisset: prorsus nihil respondisse. Cumq; conuiciator silentio factus audacior, abeun-

abeuntem vesperi, omnibus verborum contumelijs, domum usq; insectaretur: ille placido vultu, ministrum praeire conuicatori cum face iussit, ne forte in tenebris domum rediens alicubi offenderet. vel potius Davidis exemplo, aqua nimiter flagellum Domini ferrem, qui ut varijs modis suos exercere & castigare solet, mihi quoq; satanas istos Colaphistas addidisset, ac bonum pro his maledictis tandem redditurus esset.

Sed cum ipsius Filij Dei voce traditam, de precipuis Christianae religionis nostrae articulis, doctrinam, in hac schola, R. M. T. subditis & alijs propositam, Haeeseos & mendacij nomine subinde repetito traducat & exagitet: & atrocissimum Haeretici crimen nominatim impingat: hanc tam diram criminationem praeterire impietas esset.

Respondere igitur breuiter decreui, non ut meam famam aut scripta tuear: omnia enim hac Deo & piorum iudicijs iam pridem commendavi: & ingenuè fateor, me, non solum à sophistica, sed in uniuersum à rixis abhorrere, ac ut ille ait, aliquantò magis fatuum esse senem rixatorem, quàm senem amatorem sentio: & in hoc senectutis limine, & inualetudine perpetua, me ad mortem, qua non procul abesse potest, prepa-

præparo. sed ut iuniores & alios, qui in hac schola do-
docentes audiuerunt, confirmem, ne de doctrina diui-
nitas patefacta, quam in R. M. tuæ regnis, inclytæ
memoriæ pater tuus doceri in ecclesijs, & propagari
iussit, & quam in hac etiam ecclesia & schola collegæ
mei & ego fideliter sonamus, propter has sycophanta-
rum criminationes minus honorificè sentiant, nec ab
ea deduci se aut deterreri ullis calumnijs sinant.

Ut enim Christi & Apostolorum temporibus im-
pij Pontifices, Pharisei & Sadducei & eorum satelli-
tes propter ordinariam successionem & gubernatio-
nem, ecclesiæ nomen & veritatis possessionem falso sibi
arrogantes, Christum ipsum, velut Hereticum, men-
dacem, ac blasphemum damnabant: & omnes Apo-
stolos, iisdem hereseos & seditionis criminibus fæda-
tos, crudeli odio & supplicijs persequabantur: ita non
miremur alios quoq; doctrinam à Christo & Apo-
stolis traditam piè & fideliter profitentes, & impios cul-
tus ac Idola verbo Dei taxantes, iisdem præconijs à
Pontificum satellitibus, ornari.

Regulam certè & Normam fidei ac inuocatio-
nis Dei & cultuum ipsi exhibendorum unicam et im-
motam sequimur doctrinam Christi, ipsius voce tradi-

B

tam

tam & sacris Prophetarum & Apostolorum scriptis
 comprehensam, & symbola ecclesie catholice, et prima
 ac purioris ecclesie Synodorum probatarum, Nicena,
 Byzantina, Ephesina & Chalcedonensis de dogmati-
 bus decreta, & scimus hoc genus doctrina, quod in
 confessione Casari Carolo V. Augusta exhibita profi-
 tentur ecclesia nostra, non farraginem ut impudentiss.
 hi sycophanta conuiciantur: sed verè consensum esse
 catholica ecclesie christi, quem fideliter tuemur, ac
 DEO iuuante semper aduersus omnis generis furores,
 Epicureos, Iudaicos, Mahometicos, & quoscunq;
 Hereticos, expresse pugnantia cum articulis fidei cer-
 to verbo Dei patefactis, pertinaciter propugnantes,
 constanter tuebimur.

Non enim protinus hareticum est, quod Posseni-
 no aut Mylonio heresim sapit, ut non continuo san-
 ctum est quod placet. Candidum & equum lectorem
 omnium patrum scripta desiderant, qui si desit,
 nec in Cypriano, nec Hilario, nec Hieronymo,
 nec Origene, nec Augustino aberit, quod ad he-
 resis crimen trahi possit. Quid igitur magni sit
 in meis, qui nihil sum, commentariolis alicubi re-
 perire,

perire, quod interpretres iniquus ad calumniam detorqueat?

Alienissimum autem est ab omni humanitate, & cum christiana charitate pugnans, tuis rebus omissis, in alienis scriptis obambulare, & Momum quendam, seu potius sycophantam agere. Cum nihil ita pie & circumspectè à quoquam dici aut scribi queat, quod non malignè interpretando depravari vel strophæ aliqua eludi possit: ac, ut verè Erasmus suis calumniatoribus alicubi respondit: in tanta ingeniorum, opinionum ac iudiciorum varietate, omnibus omnium suspicionibus, causationibus, depravationibus, detorsionibus, satisfacere, nec potest quisquam, nec fieri refert, cum & in Apostolicis literis inueniat calumnia, quod arrodat, ~~nec ullus omnino scriptor orthodoxus ad hunc usq; diem tam felix extiterit, ut non cum venia legendus sit.~~

In Romanorum Pontificum, in Hieronymi & Augustini scriptis inueniuntur, quæ sententiam habent simpliciter hæreticam, si quis nunc ea profiteri contendat. Sunt humani quidam lapsus, quos alijs meritis con-

B ij

donat

donat & quitas. Non enim omnis error hæresis est,
ac quid faciat hæreticum Augustinus existimat re-
gulari quadam definitione comprehendendi aut omnino
non posse, aut difficilimè posse.

Tertulliano Hæresis est doctrina, quam quis ar-
bitrio suo eligit, non traditam in Evangelio. Nobis e-
nim, inquit, nihil eligere pro arbitrio licet, sed si quis
aliud euangelion predicauerit, anathema sit. Quæ de-
finitio si valebit, omnia, quæ in libello tuo Possuine ad-
uersus me defendenda suscipis dogmata, manifestissi-
ma Hæreses erunt. Vbi enim in Evangelio Christi &
Apostolorum Missa absq; communicantibus celebrāda
mentio vlla? ubi in Missa corpus & sanguis Christi
Deo à sacerdote offerri pro viuis & mortuis iubetur?
Ubi calycis vsus Laicis prohibetur? Vbi cōiugio sacer-
dotibus interdicitur? ubi ad statuas et imagines aduol-
ui, & homines mortuos inuocare docemur? An non
his omnibus contraria Christus & Apostoli tradide-
runt? an non prima & purior ecclesia aliquot
seculis statuas & imagines non modò non
adorauit, sed etiam ut ethnica Idola prorsus dete-
stata ne tolerare quidem in templis voluit? an non
Missa

Missæ venales & solitaria, primæ illi & Apostolica ecclesiæ fuerunt ignotæ? an non integri Sacramenti usus à Christo & Apostolis ecclesiæ traditus ab omnibus patribus religiose cõservatus est? Quid de circumgestatione panis, ne quidem ab ipso P. P. Urbano, cum festum corporis Christi institueret, mandata, dicam? ~~Idem quod præceptorem meum Melanthonem alicubi dicere memini: Si iam reuiuiscerent Ambrosius & Augustinus, ut non dicam de Apostolis, & venirent ad hæc spectacula, in quibus longo ordine incedunt sacrificuli gestantes ligneas, argenteas, marmoreas statuas, deinde verò sequeretur Hierophantes gestans panem, viderentq; circumfusam multitudinem inuocare hunc panem, expauescerent, ac interrogarent ubi gentium essent, & quæ nouæ post suam ætatem Ethnicorum ceremoniæ natæ essent. Non enim putarent se in loca ecclesiæ Christianæ venisse. Cum verò audirent, Cœnam Domini in hunc morem conuersam esse, tum verò simul dolore atque indignatione exardescerent, et magno animi motu populum ad verum Sacramenti usum reuocarent, & de veris pietatis exercitijs monerent.~~

Tam tetros errores, euangelio Christi & Apo-
 B iij stolica

stolica ecclesia testimonijs, aduersa fronte repugnantes, ad quos iudicandos & refutandos, non tam scientia, quam conscientia opus est: cum Possevinus & Mylonius in hoc libello suo profiteantur: & fucosis sophismatum prestigijs tueri conentur: se ipsos potius Hæreticos agnoscere ac emendare primùm debebant, priusquam curiosè in alium inquirerent, adeoq; petulanter & procaciter non prouocati criminarentur.

Hac conuicio omnium atrocissimo, quod libelli sui titulo Possevinus præscripsit, opponere, quantum nunc quidem videbatur, initio volui.

Nunc ad Imposturarum ipsius, sic enim ipse loquitur, farraginem, oppositam Orationi de ecclesijs Græcia, refutandam accedo. Qua absoluta Mylonij etiã criminationes, in epistola nominatim ad R. M. T. aduersus me accendendam præfixa, breuiter depellam.

Initio, inquit, in ipsa Græcia hodierno die non modò doctrinam & ritus Christianæ religionis, verùm etiam ordinem & gradus Episcoporum sub Turcica tyrannide vigere ait. At paulò post Chytræus in Græcia et Asia fatetur esse ritum inuocandi beatissimam virginem Mariam & sanctos alios, & pias eorum

rum

rum imagines: fatetur plerosq̄, Basilij sententiam probare, quod iusti apud DEVM sint, qui appensa lance, plura in se bona opera quàm peccata inueniant: fatetur Thomæ Aquinatis summam, à Græcis studiosè legi. Cum autem hæc omnia conuelli à Lutheranis soleant: ecquid hæc ad Lutheranismi comprobationem faciunt? quidnam hoc ponderis ad recentes hæreses adstruendas habet? An non suo se gladio iugulat Chytraus, dum in Græcia vigere doctrinam ab antiquis temporibus ostendit, quæ cum hæresibus Germanicis conueniat? Hactenus Posssevinus.

Respondeo autem nunquam mihi, ne per febrim quidem somnianti, in mentem venisse, quod Posssevinus in hac Oratione propositum mihi fuisse fingit, ut persuaderem imperitis, Græcorum religionem cum Lutherana prorsus conuenire: aut præsidia & firmamenta nostræ doctrine à recentibus Græcis peterem: aut Græcos in Lutheranorum confessionem vel aliorum qui ex Germania eam Patriarchæ Græcorum miserant, concessisse.

Simplicem & nudam Historiæ commemoratio-
nem, & formam Græcarum ecclesiarum præsentem,
sive

sive nostris, sive Pontificijs, sive aliarum gentium Christianarum institutis congrueret, adumbrare auditoribus volui.

Confirmationem verò & comprobationem nostræ Doctrina, non à recentibus Græcis aut Latinis, non Posseuinis vel Mylonijs, sed ex summi Doctoris & seruatoris nostri Iesu CHRISTI & Apostolorum ipsius scriptis oraculis petimus, & primæ ac sincerioris ecclesie, Apostolorum temporibus vicina, testimonia adiungimus. Non igitur meæ Orationis propositum seu scopum, quem subdolè & sycophantice transponit & peruertit, sed laruam à se confictam Posseuius oppugnat, & toties in singulis paginis iterat, asseuerat, inculcat, quasi quod per se falsum est, crebrò asseuerando verum fiat, ac mendacium esse desinat, si constanter idem ac subinde mentiaris.

Quod verò de Benedicta ac beatissima virgine Maria ac cæteris sanctis Dei amicis, Posseuius hoc loco intextit, fateamur eos eximio & singulari honore afficiendos, & grata mente ac voce, eorum fidem, confessionem, humilitatem, patientiam, labores, & benemerita erga ecclesiam, celebranda esse. Statuas autem & imagines Mariæ aliorumue sanctorum & Mari-

Mariam ac sanctos ipsos adorare, & auxilium ac liberationem in periculis, morbis, morte, ab ijs petere & expectare: id siue à Grecis, siue à latinis fiat, cum Norma Inuocatio- nis aeterna, verbo Dei tradita, quæ unum solum verum DEVM opitulatorem in arumnis inuocare iu- bet: & cum prima & puriore ecclesia Græca & La- tina, Apostolorum ætati proxima, planè pugnare sci- mus. Quæ scriptura de hoc narravit, inquit Epipha- nius, quis Prophetarum præcepit Hominem adorari, nedum mulierem. Est honoranda Maria, sed nec Ma- ria neq; quisquam SANCTVS ADORETVR. Si e- nim Angelos adorari non vult, quantò magis Annæ filiam. An non Idolatricum est Statuas, huma- nas Imagines præ se ferentes, adorare &c.

Hoc antiquissima Græca ecclesia testimonium, quia cum Norma veritatis diuinæ congruit, sequenti- um seculorum consuetudini palàm Idolatrica, siue in Græcis siue latinis templis seruetur, (neq; enim firma- menta & præsidia fidei nostræ à Græcis vel latinis, sed ex unica verbi & veritatis diuinæ Norma petimus) longè anteferendum esse, omnes sani faterentur. Nec te Possevine arbitror Thomæ Aquinatis vestri do-
C gma

gma defensurum, qui Imaginem Christi, & crucem Christi, Adoratione latria (quæ certè solius Dei propria est) adorandam esse docet. Sic ad Basilij lances bonorum & malorum operum in DE iudicio appendendas quod attinet, te quoq; sentire arbitror, magis cum Pauli doctrina Rom. 4 affirmante Abrahamum non ex operibus, sed fide, propter solum Christum, coram DEO iustificatum esse, congruere, quod alio loco idem Basilius inquit, Christum nobis factum esse sapientiam à Deo, iusticiam & sanctificationem, & redemptionem, sicut scriptum est, Qui gloriatur in Domino gloriatur. Hac est enim perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neq; propter iusticiam suam quisquam effertur, sed agnoscit sese indigere vera iusticia, fide autem SOLA in Christum iustificari. Quam postremam sententiam Victor Massyliensis disticho complexus est: Credidit, & nuda fidei consensio SOLA, Plenam ad Iusticia & meriti reputata coronam est. Et Nazianzenus, Basilio ὁμολογῶν

οὐ νόμον, ἔδενάπει μί, οὐκ ἔργματα καλὰ σιώσθ,
 Σὴ δε χρεῖς, οὐτ' οἶκτ' ἐμοὶ εἰσὶν εἰς βεβήλω.
 Ἦν μέγιστ' δειλοῖσιν ἀναξ πῶρες εἰλπίδ' ἀλιταροῖς.

Non lex, non decima, benefacta nec ulla beabunt:

Tua

Tua verò Gratia, & misericordia mihi immundo stillet, Quam solam miseris peccatoribus spem salutis praeiisti. Ab hac doctrina sinceritate, Graecis ecclesijs primum à Paulo Apostolo tradita, cum recesserint posteriores: nulla in his articulis, fidei praesidia aut testimonia ab eis petimus, sed ad primos & limpidissimos Graeciae ecclesiae, ab Apostolis erudita fontes. seu ad ipsa Pauli Apostoli scripta, Graecis ecclesijs missa, nostros auditores reuocamus, ac tantum abest, ut persuadere simplicibus, Lutheranam doctrinam cum Graecis ecclesijs congruere conemur, ut Refutatio Censura à Stanislao Socolonio vestro emissa, de qua tantopere Mylonius iactitat, iam publicè in lucem edatur. ut letis utriusque partis scriptis, ultrò citroque inter Patriarcham Graecum & Lutheranos quos nominas, commutatis: de re tota facilius iudicari à pijs & candidis lectoribus & veritas illustrius conspici possit & retineri. Sed ad Possevinum redeo.

Is secundo loco arrodit, quòd **MISSAS PRIVATAS ABSQUE COMMUNICANTIBUS CELEBRARI A GRAECIS NON SOLERE DIXI.** Id cum negare nullo modo audeat, rursus

C ij priorem

riorem cramben reponit, Gracos, quibus tanquam patronis uti velit Chytraus, superstitionis, Idolatriæ, & aliorum errorum paulò post ab eodem argui. Non igitur patrociniò eorum iuvari Chytraum posse, etiamsi Missas priuatas non celebrent. Atqui ad patrociniùm Gracorum nunquam confugit Chytraus. Historiam solummodo eius, quod apud Gracos fieri aut non fieri, Gracarum rerum periti norunt, recitauit, siue cum Pontificijs siue cum Lutheranis, vel alijs conueniat. Unde tamen, ex veteris & purioris ecclesiæ ritibus, aliquanto plus reliquum apud Gracos, quam in Pontificio regno, mansisse euidenter apparet.

Deinde, Gracos non omnes hoc facere, Posseni- nus ait, in Corcyra, Creta, Chio, magna Gracia, Sicilia. Atqui non de Italia regione, quam ante Christi nati- ti tempora magnam Graciam nominarunt: non de Sicilia nunc Hispaniæ regi: aut Insulis paucis Vene- tæ aut Genuensi Reipublicæ subditis, vel aliòquin Ro- mani Pontificis Imperium ecclesiasticum agnoscenti- bus, sed de interiore & vera Gracia, Turcico Impera- tori hoc tempore parente, & Byzantini patriarchæ in- spectiõni subiecta, me locutum esse ipse intelligit.

Tertiò stupidè ignorari fingit, Nullam posse
dici

dici privatam missam, qua pro toto Christi Domini corpore mystico celebretur. Nullas igitur preces & orationes privatas dici posse Possevinus disputabit, qua iuxta Christi praeceptum à nobis, privatim, in cubiculo solis, ad Deum funduntur, quia pro toto Christi domini corpore mystico seu tota ecclesia fundantur. Atqui privatas Missas ipse scis appellari, qua in angulis monasteriorum aut templorum, à solo sacrificulo, nullis, quibus sacramentum dispensetur, alijs presentibus, celebrantur. Has siue solitarias siue privatas Missas appelles, non enim de nomine litigari necesse est, pugnare cum institutione & mandato Christi, iubentis, non solum sacerdotem benedicentem sacrificare aut edere, sed alios etiam Christi discipulos accipere et manducare: & Pauli Apostoli ordinationi ac totius primitivae ecclesiae exemplo & testimonijs contrarias esse, adeo manifestum & Sole meridiano clarius est, ut multi etiam catholici, qua appellatione vobis tributa, memini praevudicare voluero, seu Pontifici & religionis patroni, qui non contra animi sententiam & propriam conscientiam agnitos errores & Idola defendunt, aperte id fateantur.

Celebre nomen ante 40. annos fuit Joannis Hof-

C iij

meisteri

Carmelita, quem Carolus Imp. ipse, cum Petro Maluenda, ad colloquium Ratisbonense delegit. Is precatioes Missa declarans Rem ipsam clamare inquit, tam in Græca, quàm Latina ecclesia, non solum sacerdotem sacrificantem, sed & reliquos presbyteros, Diaconos, nec non & reliquam plebem, aut saltem plebis aliquam partem communicasse, quod quomodo cessauerit mirandum est, & ut bonus ille usus, in Ecclesiam reuocetur, laborandum.

Erasmm Roterodamum virum incomparabilem, & tot Romanis Pontificibus Leoni X. Adriano VI. Clementi VII. Paulo III. quorum aliqui publicis Diplomatum doctrinam & scripta illius comprobauerunt, carissimum: inter catholicos & orthodoxos doctores haud dubie tu quoque Possuine recensebis. At is ad Iulium Pflugium episcopum itidem catholicum, & Carolo V. Cesari catholico familiarem, scribens, CHRISTVS inquit: in Sacramento Eucharistia, est sub ratione cibi ac potus, ut summa cum animi puritate sumatur, non ut ostentetur, aut in ludis, publicisque pompis circumferatur, aut in equo circum arua vehatur. Id nequaquam est veteris exempli, sed in hoc multitudinis affectui, plus satis indul-
tum

tum est. et paulò antè, SVNT QUI REQUIRANT IN
MISSA COMMVNIONE M. SIC FATEOR FVIT
A CHRISTO INSTITVTVM, ET OLIM ITA
CONSVEDIT OBSERVARI.

Hanc apertam & ingenuam veritatis confes-
sionem, doctissimus vir, & propter pietatis & modera-
tionis studium singulare, optimo Imp. et Romanae ec-
clesiae addictiss. Ferdinando carus, Georgius Cassander
Brugensis, qui Colonia magnam vitæ partem inter
Pontificios actam finiuit: pluribus verbis repe-
titam, aliquot etiam Synodorum decretis con-
firmat.

Quod de privatis Missis protestantes querun-
tur, non omnino præter rationem est, si privata-
rum Missarum nomine intelligant eas Missas,
in quibus solus sacerdos confecta sacramenta parti-
cipat, nec ulla mysteriorum distributio fit. (Quæ
aptiore nomine solitaria missæ vocantur) quæ veteribus
quoque cum primùm in Monasterijs quibusdam ino-
leuissent, improbatæ fuisse videntur, ut patet ex Cano-
ne quodam Concilij Nannetensis, in quo sacerdos solus
missam celebrare vetatur, absurdum enim esse, ut dicat,
Domi-

Dominus vobiscum, Sursum corda, aut gratias agamus Domino Deo nostro, cum nullus sit, qui respondeat, aut in Canone, et omnium circumstantium, cum nemo adsit: aut inuitent ad orationem, cum dicit, Oremus, cum nullus sit qui secum oret. Itaq; concludit R I- DICVLOSAM ILLAM SVPERSTITIONEM, maxime à monasterijs Monachorum exterminandam esse. Itaq; iubentur pralati providere, vt presbyteri in cœnobijs & in alijs ecclesijs, cooperatores habeant in celebratione Missarum.

Huic concilij Nannetensis decreto simile reperitur ex concilio Papiensi Cap. 132. VT NULLVS PREIBYTER SOLVVS MISSAM CELEBRARE PRÆSVMAT, quia ita nec verba Domini saluatoris, quibus mysteria corporis, & sanguinis suis discipulis celebranda contradidit, nec Apostoli Pauli documenta declarant, nec etiam in ipsis actibus enucleatim legitur, ita debere fieri vlllo modo.

De his solitarijs Missis scribit Odo Cameracensis in Canonem, antiquitus eas in vsu non fuisse, videlicet, cum nulla missa, sine collecta, hoc est, cœtu aliquo vnà offerentium, & sacrificia participantium agerentur. Eum autem morem solitarias missas celebrandi,
maxi-

maximè in monasterijs monachorum obtinuisse. Solitarias autem Missas etiam habitas fuisse, quas sacerdos cum uno aliquo ministro celebrabat, idem Odo testatur.

Huc etiam pertinet, quod quidam antiquiores ecclesiasticorum officiorum interpretes, EAM SO-
LAM LEGITIMAM MISSAM ESSE FA-
TEANTUR, CUI INTERSINT SACERDOTI
RESPONDENTES, OFFERENTES, ATQUE COM-
MUNICANTES, quod ipsa precum in sacra actione com-
positio evidenter demonstrat, in qua actione offerenti-
um & communicantium aperta fit mentio. Et alius
quidam ecclesiasticarum rerum peritissimus scriptor,
ante annos 500. ita scriptum reliquit, sciendum iuxta
antiquos patres, quod soli communicantes diuinis
mysterijs interesse consueverunt, unde & ante obla-
tionem iuxta Canones iuebantur exire Catechumeni,
& pœnitentes, videlicet qui nondum preparauerunt se
ad communicandum.

Hoc quoque ipsa sacramentorum innuit confectio,
in qua sacerdos, non pro sua solùm oblatione, & com-
municatione, sed & aliorum rogat, & maximè
in oratione post communionem pro solis com-
muni-

D

muni-

communicantibus orare videtur. Nec propriè communicatio dici potest, nisi plures de eodem sacrificio participant. Et quidem hunc antiquum esse Romanæ ecclesiæ morem doctissimi quique agnoscunt, quem etiam hodiè ecclesiæ Æthiopica diligenter & religiosè observat, ut confessio Fidei Æthiopum, quæ extat, perspicuè demonstrat.

Hæc catholicorum tuorum, & orthodoxorum ecclesiæ Romana doctorum testimonia, Possuine, an non suo te gladio iugulant, dum Christi & Apostolorum ordinationem, imò & synodorum canones mandare ostendunt, ne absq; communicantibus Missa celebrentur, nisi fortè hos quoq; quòd agnitam veritatem profiteri fuerint ausi, inter Hæreticos numeras, & Mendaces ac Impostores haberi voles, quibus à tot Romanis Pontificibus & Imperatoribus testimonium orthodoxa veritatis & vitæ, ac morum integritatis eximia præbitum est.

At sacrificij Missæ plurimos alios participes, eadem hora & momento, alibi fieri, opponis, & Missæ vim non ex præsentia plurium sed ex Christi præsentia & oblatione pendere. Atqui sacramenta in quantum sunt Sacramenta seu signa Gratiæ Dei efficacia, scis
non

non prodesse alijs, nec fructum sacrificij Christi applicare alijs, qui ipsi ijs non utuntur, nec fidem propriam ad eorum perceptionem adferunt. Vt igitur pro alio baptizari, vel absolui, sic cœnam Domini pro alio accipere vel applicare nemo potest, sed propria cuiusq; fide & proprio usu sacramenti fit applicatio, ut disertè docent dicta: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Iustus fide SVA uiuet. Non profuit eis uerbum auditum non coniunctum cum fide audientium, multò minùs sacramentorum usus prodest ijs, qui ipsi non utuntur, nec fidem ad usum eorum adferunt. Ita enim instituit Christus Eucharistiam, ut singuli eius participes, corpus & sanguinem Christi accipiant, manducent & bibant, & hac sumptione fidem Christi memoriam in suo pectore excitent, & se redemptionis per Christum facta recordatione consolentur. Oblationis corporis & sanguinis Christi in Eucharistia per sacrificulum faciendæ, nullus apud uerborum institutionis Christi in Euangelistis et Paulo meminit.

Communionem autem plurium in legitima cœna celebratione necessariã esse, perspicuè uerba institutionis

D ij

Chri-

Christi iubentia plures accipere, manducare, bibere, & hoc in memoriam Christi facere: & Paulus communionem corporis Christi in Missa non spectando, sed panem frangendo, distribuendo fieri, testantur, quia omnes ex uno pane participamus.

Ac Posseninus ipse, in fine huius secunda impostura, ut sui semper similis sit, hoc est, pugnanti loquatur, in uniuersa ecclesia catholica, frequentissimos laicos, octauo quoque die, ne dicam quotidie solitos esse communicare. Ipsa igitur veritatis euidencia hanc confessionem Possenino quantumuis repugnanti exprimit, verè & rectè me in illa Oratione scripsisse, de veteris & prioris ecclesie doctrina & ritibus apud Gracos reliquum esse, ut Missas priuatas seu solitarias absque communicantibus celebrare non soleant.

Tertium caput calumniarum Possenini est, quòd scripserim nullam in Gracorum Canone SACRIFICII CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI, PRO REDEMPTIONE VIVORVM ET MORTVORVM OBLATI, mentionem fieri, sed λογικην λατρείαν, preces, gratiarum actiones &c. offerri.

At D. Basilius & Chrysostomus (ait Posseninus) in Liturgijs suis precantur, ut memor sit DEVS
omni-

omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ. Hinc triumphans Epiphonema seu Epinicion addit,
AN HIC NON FIT MENTIO SACRIFICII PRO
MORTUIS OBLATI.

Respondeo. Insigne puerilis sycophantica & cavillationis friuola specimen, in hac Posseuini collectione, et clausula triumphali video: Mentionem sacrificij CORPORIS & Sanguinis Christi pro mortuis ex purgatorio liberandis in Missa oblatis, in his Basilij & Chrysostomi dictis ab eo allegatis, ut nec in toto Canone Missæ utriusq; nulla omnino quisquam vel Lynceis oculis præditus viderit. Quæ enim hæc consecutio est. Basilius in suo Canone meminit eorum, qui in fide & spe resurrectionis & vitæ æternæ obdormierunt: & benè eis precatur, ut in pace & luce vultus diuini quiescant. Ergò Basilius sacrificium corporis & sanguinis Christi, in Missa, pro mortuis & ex igne purgatorio liberandis, offert, & hanc oblationem eis prodesse ex opere operato affirmat.

Vel, Chrysostomus in suo canone offert rationalem cultum pro in fide requiescentibus, patriarchis, Prophetis, Apostolis, præcipuè pro sanctissima, immaculata, super omnes benedicta, Domina nostra Dei

D iij

para

para, & semper virgine Maria. Ergò Chryso-
 stomus offert corpus & sanguinem Christi in Missa pro
 mortuis, seu in fide quiescentibus patriarchis, pro-
 phetis, Apostolis, virgine Maria ex igne purgatorio
 liberanda. An igitur cruciari adhuc apud inferos
 Igne purgatorio, vel gloria tenebris teneri, vel perfecta
 visione Dei carere Mariam virginem & Apostolos
 somniat, unde per sacrificium Missa liberandi sint.

Atqui Rationalis hic & incruentus cultus,
 quem Chrysostomus Deo offert, Sacrificium laudis et
 Gratiarum actionis est, pro collecta inde ab initio per
 Patres, Prophetas, Apostolos & propagata ecclesia, o-
 mnibusq; beneficijs, per Filium redemptorem ecclesia
 collatis. Hanc λογικὴν ἢ ἀσώματον λατρείαν pro patribus,
 prophetis, Maria virgine in suo canone offert, quam
 ad corporis & sanguinis Christi sacrificium in Missa
 pro mortuis ex igne purgatorio liberandis: cuius in ca-
 none chrysoptomi vetusto, vestigium nullum apparet,
 impudentissimè transferri omnibus cordatis ap-
 paret. Opponit enim Græcus Canon, exemplo Pauli
 Rom. 12. λογικὴν ἢ ἀσώματον λατρείαν, Rationalem & in-
 cruentum cultum non modò brutarum pecudum san-
 guini, à Leviticis Sacerdotibus fuso, sed etiam cere-
 monia-

monialibus hypocritarum ex opere operato se gratam Deo *λατρεία* exhibere fingentium sacrificijs, ac vult pralucere toti piorum, obedientia morali & omnibus nostris cultibus à DEO mandatis agnitionem voluntatis Dei bonæ in Evangelio reuelata, et veram fidem seu fiduciam mediatoris, propter quem solum nos & opera nostra Deo placemus, & ad hunc finem referri, non ut Gratiam Dei & salutem hoc opere operato mereamur, et bona ab eo velut emanamus, sed ut obedientia et gratitudinis nostræ testimonium Deo declaremus. Posssevinus verò hoc loco, etiam commentitia D. Iacobi Missa, quæ tamen solitarijs, mutis & angularibus, ut Germani vocant Pontificiorum Missis ex diametro repugnat: et Clementis constitutionum meminit quas nominatim & expresso decreto scit, non solum à Sexta Synodo in Trullo, verum etiã ab ipsa ecclesia Romana, Dist 15. C. Sancta ecclesia Romana velut Apocrypha & catholicis vitanda reijci et improbari.

Dionysius verò, Areopagites ab eo laudatus, nullam prorsus in ministerio synaxeos, seu Missaribus, suo tempore usitatis, sacrificij corporis et sanguinis Christi pro vivis aut mortuis offerendi, mentionem facit, sed diuina munera ipse sumit et omnibus sumenda tradit:

nec Missam (vel sacrificium) sed communionem & Synaxin appellat. Nec pugnantis sunt, quòd in canone Missa, Græcis à Basilio & Chrysostomo tradita, nullam sacrificij pro viuis & mortuis mentionem fieri: & tamen nunc opiniones de applicatione sacrificij Missa ALICVBI, quam vocem non bono consilio Possevinus omisit, inoleuisse, ac ut in Papatu, Missas emi, dico.

Scitum vero in primis Possevino, ad sacrificium Missa pro viuis & mortuis, ex purgatorio liberandis adstruendum videtur, quòd Passionis Domini oblationem mancam à nobis reddi fingit, si non uti profuit in cruce, ita etiamnum viuis & mortuis prodesse dicatur. Quis verò unquam negavit, omnes inde usq; ab initio mundi ad Deum conuersos, & in vera agnitione & fide Christi propiciatoris mortuos, beneficio passionis Christi saluatos esse. Verùm quid hæc ad Missas, merita monachorum, & alia viuentium suffragia, quibus in purgatorio mortuorum animabus, remissionem peccatorum venialium quo ad culpam, & mortaliū quo ad pœnam, & satisfactionem peccatis debitam, confici fingitis.

Quis unquam in his ecclesijs docuit ociandum esse

esse, & inter cantharos perpetuo torpore vivendum, sola
verò, nescio qua, demoniorum fide facinora quaq; de-
lenda, nec ulla ratione pro vivis orandum & c. cuius
impudentissima criminationis vanitas, cum omnibus
vanissima esse appareat, refutatione indigna est.

Quod autem verba Canonis Græci, τὴν οὐκ ἐν τῶν σῶν
οὐκ ἐστὶν ἐλεησύναι, non ad eleemosynas, sed corporis et sangui-
nis Christi pro vivis & mortuis ex purgatorio libe-
randis oblationem transferenda sint, duas rationes ad-
fert, quia post consecrationem Eucharistiae dicen-
tur: & quia eleemosyna, non Deo, sed nobis offeran-
tur, quarum utraq; vana est. Scit enim ipse, Græcos
consecrationem, invocationi ex intervallo sequenti re-
citationem verborum Domini tribuere: & Basilij
Canonem, post hæc verba, Τῦν ΕΧ Τῦν ΙΣ & c.
panem & vinum ἀντίτυπον τῆ ἀγίας σῶματ & τῆ ἀματ & nomi-
nare, & petere ut hæc ἀντίτυπον seu panem, ipsum hono-
rificum corpus Domini Dei & salvatoris nostri Iesu
Christi: quod autem est in calyce, ipsum sanguinem
Dei & salvatoris nostri Iesu Christi, qui effusus est
pro mundi vita, efficiat. Quibus verbis demum conse-
crationem perfici Græci existimant.

Eleemosynas verò in primis DEO offerri, & sa-
E sacrificia

crificia DEO grata & accepta esse, Pauli dicta, Ebr. 13. Philip. 4 & Christi in extremo iudicio sententia Matth. 25: tum proluxa concione Irenaeus de his ipsis eleemosynis in cœna Domini celebratione ad usus pauperum oblatis, lib. 4. cap. 32. 33. demonstrat.

Ego verò non eleemosynas tantum, sed *λογικὴν λατρείαν*, preces, Gratiarum actiones, laudes Dei, his verbis in Canone Græco offerri dixi, quod ex tota serie orationis perspicuum est. Nam post præfationem & Gratiarum actionem solennem, & recitata institutionis verba, addit Sacerdos, Memoriam igitur celebrantes salutarium Christi passionum, vivificæ crucis, sepulturae, resurrectionis, ascensionis etc. Tua ex tuis tibi offerimus, per omnia & in omnibus, Te laudamus, tibi benedicimus, tibi gratias agimus &c. Hac perspicua Gratiarum actionis seu Eucharistici precum & laudum sacrificij, pro omnibus beneficijs Christi ecclesie donatis verba sunt, quæ ad eleemosynas etiam, quas pietatem & gratitudinem erga Deum suam testantes, pij ad cœnam Domini accessuri, in templis eo tempore offerebant, rectissimè, accommodari manifestum est, Tua largitate nobis primum donata, etiam à pijs in usus pauperum oblata, offerimus, Tibi Gratias agentes pro omnibus tuis corporalibus & spi-

ritualibus

ritualibus beneficijs, pro alimentis vitæ, pro donata nobis in salutem passione, resurrectione & ascensione filij tui, cuius beneficia omnia, per usum panis & vini Eucharistici, quem corpus et sanguinem filij tui facis, omnibus fide sumētibus applicare et obsignare dignaris.

Certum est enim, de pane et vino, in usus ministrorū et pauperū per populū ad altare Deo oblato, partem in usum Eucharistia consecratā, et populo sumentis sacramentum, distributam esse: et de his populi oblationibus et sacrificijs, multas Missæ preces loqui, ex ipsis Missæ Pontificiæ propugnatoribus doctissimi nostra memoria fatentur, ac ut à superstitione & contemptu Canon Missæ vindicetur, opus esse sentiunt, priscum morem, in conuentu populi et collecta aliqua, eleemosynas, seu panem et vinum offerendi, reuocari. Hunc enim antiquissimū ecclesiæ morem fuisse notissimum est, inquit Cassander Quò pertinent Orationes illæ, quæ Secreta dicuntur, et prima pars Canonis, quæ dona et munera populi et sacrificiū laudis, quod à circumstantibus offertur, Deo commendantur, ita, ut si orationibus his sua veritas constet, intelligi debeat, ea symbola panis et vini, quæ in Dominica mensa ad consecrationem proposita sunt, nomine populi esse oblata, & symbola esse sacra interioris sacrificij, quo se populus, et omnia sua Deo vouet & dedicat.

E ij

Postea

Postea ad rectè intelligendum & Excusandum Canonem, ait necesse esse multiplicem vocabuli Sacrificij usurpationem, nouies ferè in Canone variatam observari. Ac primum in Canone, Doni nomine intelligi SACRIFICIUM POPULI, quod consistat in (eleemosynis seu) pane & vino, in quo duo rursus considerentur, Externa actio populi offerentis, & interior significatio, qua populus per fidem & deuotionem seipsum, & sua omnia Deo dedicat, sacrificium laudis Deo immolat, de quo in canone dicitur: ut accepta habeas hæc dona Hactenus Cassander. De λογική λατρεία in canone chrystostomi paulò antè dixi.

Quale autem istius Oblationis genus sit, quod Rationabile & incruentum seu λογική ἀνάμακτος λατρεία in canone Chrystostomi dicitur, Possesinus ex varijs illius appellationibus & epithetis, in Græca ecclesia vsitatis, intelligi vult. Quæ tamen omnia, nihil minus confirmant, quàm quod ipse sibi probandum proposuit, In Missa sacrificium corporis & sanguinis Christi, pro mortuis ex igne purgatorio liberandis Deo offerri.

λογική enim & ἀνάμακτος ἰουσία, Rationale & incruentum sacrificium, non sola cæna Domini, in
qua

qua sacrificij Christi, semel in cruce peracti, recordatio fit, sed tota piorum obedientia, pralucante vera agnitione Christi & fide facta, & ad hunc finem, ut Deus honore afficiatur, relata, nominatur: & sanguineis brutarum pecudum sacrificijs Leviticis, & ἀλόγοις hypocritarum operibus, opponitur.

ἱερά, non cœna Domini tantum, sed omnes pij, imò etiam vasa, sacris usibus destinata, à Mose vocantur. Imò à Grecis Hieromonachi quidam perpetuò cœlibes & calogeri seu καλοὶ ἡ ἱεροὶ postea à Posseni- no ipso laudantur. Sed ex hoc epitheto non efficitur, sacrificium pro vivis & mortuis ex igne purgatorio liberandis in Missa offerri. μυστήριον sapissimè Paulo Doctrina Evangelij de redemptione generis humani per Christum facta, cum ignota esset omnibus creaturis, diuinitus reuelata dicitur, nec uspiam ad cœnam Domini in specie accommodatur: nisi in dicto 1. Cor. 4. Sic nos æstimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei, simul complecti ministerium Evangelij, baptismi & cœna Domini velis. Vt autem Doctrina Evangelij, non ideò sacrificium pro vivis & mortuis ex purgatorio redimendis haberi potest, quia μυστήριον Paulo subinde dicitur: ita nec Missa sacrificium

E iij cium

cium, ex hac appellatione à Græca ecclesia cœna Domini tributa, confirmari potest.

ἱεραργίαν vero, seu sacram operationem, Nazianzeno cœnam perhiberi, quis miretur, cum Paulus se ἱεραργεῖαν τὸ εὐαγγέλιον ἔδεξαι sacrificare Evangelion Dei, seu predicando ἔ docendo Evangelion, cultum Deo gratum prestare affirmet. At hac ad sacrificium Missæ pro mortuis ex igne purgatorio liberandis adstruendū, quid ponderis habent, vel quid omnino pertinent.

Sic τελετῶν ἀπὸ ῥήτων ἔ τελετῶν τελετῶν à Synesio et Dionysio nuncupari quid vetat, cum in Evangelio ἔ sacramentis, sacrificium Christi propiciatorium, pro salute generis humani semel in cruce peractum, quo omnium nostrum peccata perfectè expiata sunt, singulis fide accipientibus dispensetur ἔ applicetur, sicut Christus ipse hac voce τετέλεστον in cruce usus est, ut consummatum esse sacrificium ἱλαστικόν ἔ impletas omnes de passione ἔ morte Christi Prophetias, ἔ finem esse dolorum Christi, ostenderet, ἔ Ebr. 10. Paulus, unica oblatione τετέλειωκεν.

Apostolos in Actis cœnam Domini ἁγίαν προσφορὰν, sanctam oblationem, vocare, in Biblijs, quæ mihi hætenus videre contigit, nusquam inuenio, ἔ falsi crimen

men non hoc uno in loco solum à Possentino committi, certum est. ἡ λειτουργία publici officij administrationem Græcis significare non dubium est. Sic Act. 13. Prophetas & Doctores Antiochiæ λειτουργήτας id est, officium docendi & scripturam Propheticam interpretandi suum publicè administrantes, Lucas scribit, iussos esse Barnabam & Saulum separare. Verum quid hæc ad sacrificia Missæ pro mortuis ex igne purgatorio redimendis pertinent, cum ne cœna Domini quidem expressa ibi mentio fiat, tametsi simul administratam ab ijs cœnam esse, non negaverim. Chrysostomus certè λειτουργήτων, eo loco simpliciter reddit κηρυττόντων prædicantibus illis. Paulus magistratus politicos, ut Claudium & Neronem suo tempore Imperium summum tenentes, λειτουργὸς θεῶν ministros Dei, seu publicum officium à Deo ordinatū administrantes nominat. At hos Missæ Sacrificulos fuisse, vel corpus & sanguinem Christi pro vivis & mortuis Deo obtulisse ne Possentinus quidem affirmaverit. Qua igitur fronte, sacrificium missæ pro mortuis ex igne purgatorio liberandis, quod in Græco Canone nusquam offerri dixi, in Apostolorum actis confirmari ex vocabulo λειτουργίας ratiocinatur.

Quod ad Canones Apostolorum attinet: et si scit
 Posse-

Posseuinus ipse, C. Sacram Romanam ecclesiã dist. 15.
 eos, inter scripta Apocrypha, & Catholicis vitanda,
 recensere: tamen suo se gladio iugulare mauult, quã
 sacrificij mentionem Can. 3. factam prætermittere,
 cùm tamen Canon ab eo citatus, sententiam, de sacri-
 ficio corporis & sanguinis Christi, pro viuis & de-
 functis Deo oblatis, oppugnet magis quã confirmet.
 Hac enim verba sunt canonis. Si quis Episcopus
 aut presbyter, præter ordinationem Domini, quã de
 sacrificio instituit, alia quapiam, puta aut mel, aut lac,
 aut pro vino sicera, aut confecta quedam, aut aues,
 aut aliqua animalia, aut legumina supra altare ob-
 tulerit, vt, qui contra ordinationem Domini faciat,
 deponitor, excepto nouo frumento & vna opportuno
 tempore. Præterea licitum non esto aliud quidpiam
 admouere ad altare, quã oleum in candelabrum, et
 incensum oblationis tempore 4. Omnium aliorum
 pomorum primitia episcopo & presbyteris domum
 mittuntor, non super altare. Manifestum est au-
 tem, quòd Episcopus & presbyteri inter diaconos &
 reliquos clericos eas diuidunt.

Hac manifestum est non de sacrificio corporis &
 sanguinis Christi, Pontificio, sed de oblatione Panis,
 Vini

Vini, frugū, uuarum, olei, à populo olim in usus pauperum et Clericorū facta, dici, ex quibus partem, in altari oblatam, Sacerdos consecrabat, sicut ex concilij Neocæsariensis etiā Can. 9. manifestum est. Presbyter lapsus ante ordinationem etc. oblata non consecret. Prius igitur oblata sunt ad altare, antequam in corpus et sanguinem Christi consecrarentur. At Pontificia corporis & sanguinis Christi pro uiuis & defunctis oblatio sequitur consecrationem. Toto igitur genere alia est oblatio, de qua, consecrationem precedente, Concilium Neocæsariense loquitur, quam προσκομιδὴν etiam Iustinianus appellat.

In primis verò fraudulentè & impudenter ad comprobandum Missa pro uiuis et mortuis ex purgatorio redimendis sacrificium, Iustini martyris auctoritatem detorquet, cuius integra rituum cœnæ Domini eo tempore usitatorum descriptio in Apologetico extat, ubi nullà syllabà sacrificij corporis & sanguinis Christi pro uiuis & defunctis meminit.

Ad Tryphonem verò, ubi Malachia Propheeta vaticinium, de sacrificijs Christianorum, in omni loco offerendis, allegat, disertè inquit, Preces & Gratiarum actiones, solas esse perfectas & placentia DEO

F sacri-

Sacrificia, quæ sola Christiani facienda acceperint, etiam cum alimento suo sicco & humido fruente, passionis Christi recordantur, verba Græca illustriora sunt,

τὰς εὐχὰς αὐτῶν θυσίας καλεῖ. ὅτι μὴ ἐν ἑὺχαῖ ἑὺχαριστία ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμενα τέλεια μόναι ἢ εὐάρεστοί εἰσι τῷ θεῷ θυσία ἔστω φημι. ταῦτα γὰρ μόναι ἢ χριστιανοὶ παρελάβον ποιῆν, ἢ ἐπὶ ἀγαμνήσῃ δὲ τροφῆς αὐτῶν ξηρὰς τε ἢ ὑγρὰς, ἐν ἧ ἢ τοῦ πάθους, ὁ πέποιθε δι' αὐτῶν ὁ υἱὸς τῷ θεῷ, μείνηται.

Et paulò antè. Per nomen primogeniti eius filij, veri Sacerdotes DEI sumus, sicut ipse Deus testificatur dicens, quòd in omni loco in gentibus sacrificia ipsi placentia & munda offerant. Non recipit autem ab ullo sacrificia DEVS nisi per sacerdotes suos. Omnes igitur, qui per nomen hoc sacrificia offerunt, quæ tradidit Iesus Christus super Eucharistia panis & calicis, quæ in omni loco terræ fiunt à Christianis, recipiens DEVS testificatur sibi placere. Ea verò, quæ à vobis, (Iudæis) & vestris illis sacerdotibus (Leuiticis) fiunt, auersatur dicens: Sacrificia vestra non accipiam &c. & postea. Nullum omnino est genus hominum, siue Barbarorum siue Græcorum, in quibus non per nomen crucifixi Iesu Christi PRECES & GRATIARVM ACTIONES patri & factori uniuersorum offeruntur.

*Egregiam verò confirmationem sacrificij Missæ
pro*

pro vivis & mortuis, ex igne purgatorio redimendis. Vbi tota disputationis Iustini series ostendit, eum de Eucharisticis Precum & Gratiarum actionis sacrificijs, quæ in cœna Domini administratione solennes Deo in omnibus gentibus offeruntur, non à sacrificulis unctis & rasis, sed ab omnibus Christianis, quos Sacerdotij honore DEVS per filium suum summum sacerdotem dignatus est.

Has certationum fraudulentarum phaleras Possævini Theologate, quibus populum Christianum & imperitam præcipuè multitudinem decipere & fascinare moliris, (& qui velut probri loco Grammaticam alijs obijcis) Grammatici & Pædagoguli, sermonis et phrasæ Sacræ scripturæ, & Patrum ecclesiasticorum non prorsus ignari, quantumvis à vobis ex sublimi despecti ac sprete, agnoscunt, et, si non prorsus detrabere, certè retegere & alijs agnoscendas proponere possunt.

Quarta Possævini impostura exagitat, quòd INTEGRUM SACRAMENTUM, SEV VTRAMQUE SPECIEM, POPULO ETIAM A GRAECIS DISTRIBV DIXI. Id cum verissimum, & mandato Christi, instituentis cœnam non pro Apostolis tantum, sed omnibus ecclesiæ civibus, quos Omnes ex calyce bibere

F ij iubet

iubet: Et Ordinationi Pauli ad Corinthios, quater mutatis verbis, praeceptum de usu utriusque speciei repetentis, Et omnium patrum scriptis consentaneum, Et plurimis seculis etiam in Latina ecclesia usitatum, apud Gracos verò in hodiernum usque diem prohiberi, Possuimus fateri cogatur: tamen imposturam et mendacium suum veritati certa Et immota affricat, quod aliquibus quadragesima diebus *πεσωνασπερποις* utantur. Nō enim firma et certa collectio est, si praesancificatis vescantur, propterea eos una tantum specie uti solere. ac etiam si illis diebus quidam uterentur, tamen utriusque speciei usum, à Christo institutum, populo NON PROHIBENT, sed toto reliquo anni tempore Plebi ministrant. Quare nihilominus verum manet, quod in Oratione mea scripsi, integrum Sacramentum seu utramque speciem populo etiam à Gracis distribui.

Idque ex suo presenti domino Et familiari, Ioanne Moscorum tyranno, cui pacem cum Stephano Polonia rege confecit Possuimus, coram cognoscere potuit, cum Gracarum ecclesiarum ritus in Moscouia sequantur, utramque Sacramenti partem coniunctim illic populo exhiberi. Sicut publicis literis ad Carolum V. Casarem, Et omnes Imperij ordines, ante 27. annos

nos scriptis, quæ in multorum manibus sunt, Mo-
scus ipse testatur, dum se & ecclesias suas à societate
Romana ecclesie, propter usum utriusq; speciei non ex-
cludendos esse prolixè disputat. Verùm quid disputatio-
ne in re omnibus piè eruditis nota, opus est.

Fatentur ipsi Pontifici & religionis scriptores aliqui,
compertissimum esse, V N I V E R S A L E M C H R I
S T I E C C L E S I A M, I N H V N C V S Q V E
D I E M, occidentalem verò seu Romanam mille ampli-
us à CHRISTO annis, in solenni præsertim & ordina-
ria huius sacramenti dispensatione, utramq; panis &
vini speciem, omnibus ecclesie Christi membris exhibu-
isse, id quod ex innumeris veterum scriptorum, tam
Græcorum quàm Latinorum testimonijs manifestum
sit, atq; ut ita facerent, inductos fuisse, primùm institu-
to exemploq; Christi, qui hoc sacramentum corporis &
sanguinis sui, duobus hisce, panis & vini symbolis, di-
scipulis suis fidelium communicantium personam re-
presentantibus præbuit, tum quia in sacramento san-
guinis, peculiarem quandam virtutem & gratiam
hoc vini Symbolo significatam esse credebant, tum ob
rationes mysticas huius instituti, quæ à veteribus va-
riè adducuntur, videlicet ad representandam memori-

F iij

am pas-

ampassionis CHRISTI in oblatione corporis & effusione sanguinis iuxta illud Pauli: Quotiescunq; comederitis panem hunc, & calicem Domini biberitis, mortem Domini annunciate, donec veniat. Item, ad significandam integram refectioem, seu nutritionem, qua cibo & potu constat, quomodo CHRISTVS inquit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, &c. Item ad designandam redemptionem & tuitionem corporis & animæ, ut corpus pro salute corporis, & sanguis, pro salute animæ, qua in sanguine est, dari intelligatur, ad significandum quoq; CHRISTVM utramq; naturam assumpsisse, corporis videlicet & animæ, ut utramq; redimeret.

Quare hæc consuetudo in ecclesia quoq; Latina, mille amplius annis tenuit, ut tam populo quàm Clero, in celebratione Missarū, post mysteriorū consecrationem, seorsum corpus, et seorsum sanguis Domini præberetur.

Atq; ad effusionis periculum evitandum, in plerisq; locis calycibus (qui ministeriales vocabantur) argenteæ fistula inferebantur, postea tamen huius periculi metus effecit, ut intinctus in sanguinem Domini panis dominicus vulgo exhiberetur, qui mos huc usq; per Græciam & Armeniam obtinet, postea ad omissionem alterius speciei in aliquibus locis ventum est, sic tamen ut in

Strag

utraq; specie communicatio non prorsus abolita sit, sed in
 quibusdam locis, praesertim in Monasterijs retenta,
 idq; usq; ad annum amplius M. CCC. donec haec con-
 suetudo in altera specie communicandi populi, tota eccle-
 siam Latinam penè inuasit. Quae consuetudo, cum eam
 nonnulli ut sacrilega et nefaria condemnarent, à Con-
 cilio Constantiensi et Basiliensi probata et sancita fuit,
 ita tamen, ut Bohemis, certis intercedentibus conditio-
 nibus et pactis, utriusq; speciei usus concessus fuerit, neq;
 tamen hac sanctione communionem utriusq; speciei à po-
 pulo tota sublatam, sed ob certas et graues causas ad tempus
 intermissam, et suspensam voluerunt, sic ut alijs causis
 urgentibus eam restituere, et in usum reuocare ecclesiae li-
 berum sit. Quare non temerè est, quod optimi quique et-
 iam catholicae professionis in diuinorum et ecclesiastico-
 rum scriptorum lectione versati, et his, quas supra di-
 ximus, rationibus incitati, summo desiderio potiundi
 Dominici calycis incenduntur, omnibusq; modis con-
 tendunt, ut hoc salutare sacramentum sanguinis Chri-
 sti, una cum Sacramento corporis, iuxta veterem et
 multis seculis perpetuatam uniuersalis ecclesiae consuetu-
 dinem, in usum reducatur, vel certè libertas, quae ducen-
 tis annis adhuc valuit, in una vel utraq; specie com-
 municandi restituatur. Ita q;

Itaq; non modò nil Ecclesiastica autoritati contrarium: imò verò Ecclesiastica paci, & unitati conueniens, & propè necessarium futurum puto, si vel illi, penes quos ecclesiæ gubernatio est, priscum hunc communicandi morem restituant, vel ecclesiæ, paulatim, quod citra grauem perturbationem fiat, ad eum, quem initio habuerunt, longoq; tempore retinuerunt, morem redeant.

Nequeo sanè satis mirari Joannem Eccium, virum alioquin, insigni ingenio & memoria præditum, qui in Apologia principum catholicorum scribat, se non meminisse legere, in ecclesiæ Romana Eucharistiam sub utraq; specie communicatam Laicis, nisi quòd argumentum sumi possit ex vita S. Laurentij. mirum? si non meminerit calicum ministerialium in ecclesijs urbis Romana, quorum in libro Pontificali subinde fit mentio, quos ita vocatos fuisse, quòd ex ijs populo sanguis Dominicus ministraretur, vel ex suo Caietano recognoscere potuisset. An ignotum esse potuit? quod in Decretis quoq; legitur à Sotero Papa, in Cæna Domini pœnitentes, ad percipienda corporis & sanguinis Domini Sacramenta reconciliari? Quid? an non meminerat Gregorij Pontificis Romani (ut eius antecesso-

tecesso-

tecessores taceamus) qui in 4. Dialogorum scribit, Christi sanguinem, non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium fundi?

Et in Homilia Sabbati Paschalis apud populum differens: Quid sit, inquit, sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis? Quem morem Sanguinis Dominici porrigendi, & antiqua Sacramentaria D. Gregorij, & libellus ordinis Romani aperte testantur, & Romani Pontifices in solenni officio constanter semper retinuerunt, usque adeo, ut Martinus sanctus, etiam post tempora Constantiensis Synodi, in solenni Pascha officio, iuxta praescriptum ordinis Romani, uniuersum populum corpore & sanguine Domini communicasse, legatur.

Hac cum ipsi scriptores Pontificij fateantur: Posseuius tamen impudentissimè frontem perfricans, eos, qui vrsere urgentue petitionem utriusq; speciei, nescire ait quid petant aut quid velint, nisi libertatem, quæ ex DEO non est. Iam dudum enim nullos episcopos aut sacerdotes legitimos, ideoq; nec ecclesiam habere. Scimus autem non tantum pios & optimos principes Ioannem electorem, Saxonia, Georgium marchionem Brandeb. & ceteros illis communi confessione

G

coniun-

coniunctos, & Sacerdotes eorum plerosque ab ordinarijs
episcopis consecratos, usum utriusque speciei restituisse,
verum etiam inuictissimum & optimum Imperatorem
Ferdinandum, magno & ardenti studio ac zelo, peti-
tionem utriusque speciei apud concilium Tridentinum,
& Pontificem ipsum versasse: ac Urbanum Gurcen-
sem episcopum, mandato optimi Imperatoris, hac una
de causa Venetias profectum esse, ut Græca ecclesia mo-
rem in distributione utriusque speciei, ex ipsis Græcis,
qui magno numero illic negociantur, & templum pro-
prium habent, certò cognosceret. Tandem etiam insti-
tit & versit Caesar Ferdinandus, ut tandem Pontifex
Pius III. die xvj. Aprilis, potestatem in Austria &
Bavaria Laicis utramque speciem Eucharistia distri-
buendi, certis tamen conditionibus, concederet.

Antu igitur Possuine, hos omnes, qui petitionem
utriusque speciei versere urgent, nesciuisse ais, aut ne-
scire, quid petant, aut quid velint, nisi libertatem qua
ex DEO non est? Si de Lutheranis, quos appellare sole-
tis, vel Principibus vel populis solis loquerè, excusa-
tionem apud tua farina sycophantas facile inuenires.
At sapientissimum & optimum Casarem Ferdinan-
dum, cui eximia pietatis & orthodoxia catholica testi-
monium,

monium, ipsi patres Tridentini solenne præbuerunt, nesciuisse quid peteret, aut quid vellet, nisi libertatem, quæ ex Deo non est, & nullos episcopos aut sacerdotes legitimos, ideoq; nec ecclesiam habere, vereor ut tui ipsius socij laturi sint. An libertatem, quæ ex Deo non est, querere tibi Possuine videntur, qui integri sacramenti usum à DEO ipso institutum & mandatum, & in uniuersali Christi ecclesia, ut Cassander vester ipse testatur, in hunc usq; diem, in Romana verò mille amplius à Christo annis conseruatum, sibi etiam restitui flagitant? Sed quia de utraq; specie fusiùs te postremo loco acturum pollicèris: ego etiam nunc ordine ad reliqua imposturarum, ut nominas, tuarum capita descendens, vberiore & neruosiore usus integri Sacramenti, seu utriusq; speciei, atq; etiam sequentis articuli de CONIVGIO Sacerdotum à te oppugnati Defensionem, à Philippo Melanthono olim, piè & eruditissimè scriptam, omnesq; vestras Nanius perspicuè refutantem, postremo loco adiungam.

De quinta igitur impostura tua, insectante, quòd MARITOS à SACERDOTIO NON ARCERIA PVD GRAECOS, verissimè scripsi, breuissimè respondeo. Te ipsum, quod scripsi, verum esse, negare non posse.

G ij Etsi

Etsi enim concedere velim, quod opponis, neminem Græcorum Sacerdotum post ordinationem ad nuptias accedere, aut mortua priore, alteram ab eo postea uxorem non duci, & episcopos interdum ex Hieromonachis electos perpetuò cælibes esse: tamen nihilominus verum & certissimum manet, quod scripsi, in Græcis ecclesijs maritos à sacerdotio non arceri.

Quod verò ad ipsum Sacerdotum coniugium attinet, quod totis decem paginis Possevinus sibi hoc loco, omnibus veteratorum suarum sophisticarum nervis intensis, oppugnandum suscipit: Primum accipio conditionem, ab ipso propositam, ut non recentis fecis Græcorum, sed ipsiusmet Apostolicæ & primitivæ, vel adeò uniuersæ Græcæ ecclesiæ ante 700. annos testimonia & exempla de coniugio sacerdotum adferantur. Quæ verò illustriora Apostolicæ & primitivæ ecclesiæ Græcorum testimonia et exempla haberi possunt, quàm Apostolus Paulus ipse, Græcarum ecclesiarum in Creta et Epheso Episcopos iubens, in singulis oppidis presbyteros constituere ΑΝΕΓΚΛΗΤΟΥΣ (qui non possint ob crimen aliquod legibus prohibitum in ius vocari) **VNIUS VXORIS VIROS** (non scortatores, aut adulteros polygamos, ut Iudæi & ethnici eodem tempore pluribus iuncti erant, sed

sed maritos honestos) qui Liberos habeant fideles, non infames luxu aut contumaces.

1. Tim 3. Oportet episcopum sine crimine esse, unius uxoris virum, sobrium modestum etc. liberos habentem obediens cum omni gravitate. Diaconi similiter Uxores habeant graves, non maledicas, sobrias, fidas in omnibus. Diaconi sint V N I V S V X O R I S V I R I, liberis suis rectè præsint & proprijs domibus.

Ad Corinthiorum ecclesiam itidem Græcam scribens Apostolus cap 7. Vnusquisq; propter Fornicationes (vitandas) uxorem suam habeat, & U N A quæq; proprium virum habeat, & postea virginibus & viduis, non præceptum aut legem certam præscribit, sed consulit ut sic maneant, non quod coram D E O remissionem peccatorum aut salutem æternam ampliorem, abstinentia à coniugio mereantur, sed propter præsentem necessitatem, seu multiplices molestias & arumnas coniugij vitandas, & quia cælibes, qui donum continentia habent, facilius iactationis & exilij miseriae sustinere, & expeditius labores ministerij ecclesiastici obire, & quæ Domini sunt curare possunt. Hoc autem inquit Paulus, dico, ut quid vobis utile

G iij

sit

sit (non coram Deo magis meritorium) ostendam:
 NON UT LAQUEVM (Legem aut vota, quibus
 constricti teneamini) VOBIS INIICIAM, non ut per
 meam traditionem aut vota, ulli homini, ullis sacer-
 dotibus vel Episcopis futuris, coniugium prohibeam.
 Id enim DOCTRINAM DAEMONIORVM alibi
 Paulus expresse nominat, sed tantum propter finem u-
 tilem, ut à multiplicibus coniugij, liberorum & rei do-
 mesticæ, curis ac arumnis conjugibus liberi, rectius se
 animo tranquillo & vacuo totos studijs doctrina de
 DEO dedant, & ad officia ministerij expeditiores sint,
 si contineant, sin minus, nubere iubet. Honorabile
 enim CONIUGIVM IN OMNIBVS (etiam sacerdo-
 tibus est) & thorus conjugalis impollutus & castus
 est. Scortatores autem & adulteros Deus iudicabit.

Ex Apostolorum Canonibus, quatuor velut authen-
 ticos laudas Possuine, nihil citabo, nisi unicum quar-
 tum Canonem. Episcopus aut Presbyter, aut Diaco-
 nus uxorem suam prætextu religionis non abijcito: si
 abijcit, segregator à communione, si perseverat, depo-
 nitor. Hic certè Canon, Apostolica & primitiva ec-
 clesia testimonium, de coniugio sacerdotum honorabili,
 & sancto, admodum illustre continet, quod uniuersa
 eccle-

ecclesia Græca, non ante septingentos tantum annos, (quem numerum tu mihi Possevine præscribis, quod recentes ab antiqua puritate ecclesia deflexerint) sed ante nongentos annos, in solenni Oecumenica Synodo Constantinopolitana VI in Trullo repetitum, denuò sancitum & confirmavit. Cuius Oecumenicæ Synodi decretum in Iure Canonico etiam dist. xxxj. C. Quoniam recitatur. Sed ex Græco fonte illustrius his verbis redditum est. Quoniam in Romana ecclesia, loco canonis traditum esse cognouimus, ut ij, qui digni habendi sunt ordinatione Diaconi vel Presbyteri, profiteantur, se deinceps cum uxoribus suis non congressuros: Nos sequentes veterem Canonem Apostolicæ & sinceræ ordinationis, legitimas sacrorum virorum cohabitationes coniugales, etiam ex hodierno die in posterum valere, ratas & firmas esse volumus. Nullo modo eorum cum uxoribus proprijs coniunctionem dissoluentes, aut fraudantes eos consuetudine coniugali, quæ conueniente tempore fiat.

Itaq; si quis dignus inueniatur Hypodiaconi, Diaconi aut Presbyteri ordinatione, IS MINIME PROHIBENDVS EST HVNC GRADVM ASCENDERE, IDEO, QVOD CVM LEGITIMA VXORE COHABITET.

Nec

Nec tempore ordinationis sua postuletur ab eo, ut profiteatur, quòd abstinere velit aut debeat à legitimo congressu cum propria uxore, non autem indiscriminatum cum uxoribus suis coniunctionem habebunt, sed vicis sua tempore abstinebunt.

Si quis igitur presumpserit, contra Apostolicos Canones, Diaconos & sacerdotes post ordinationem consuetudine cum legitimis suis uxoribus priuare, deponatur, similiter & qui ordinantur, si uxores suas pretextu pietatis abijciant, excommunicentur.

Hæc uniuersalis Synodi Constantinopolitana VI. definitio, non solum, quod scripsi, in Ecclesijs Græcis maritos à Sacerdotio non arceri, verisimum esse demonstrat, verum etiam sophismatis illius, quo postea Possuinus utitur, vanitatem, quo canonem Apostolorum, non de thoro seu cohabitatione, sed de cura uxorum, ut eis in monasterio vel alibi alimenta ministrarentur, loqui fingit: perspicue refutat.

Præterea Apostolos ipsos Sacerdotum noui testamenti principes, ac in his Petrum Apostolorum principem, & Paulum, consuetudine coniugali usos esse,
 Igna-

IGNATIVS discipulus Apostolorum, ad Philadelphienses scribens, ut de Clemente Alexandrino, & aliis taceam, testatur: & Canonem, doctrinae Apostolicae, congruentem, addit, Si quis legitimam (Coniugum) commixtionem & liberorum procreationem nominet φθορὰν δὲ καὶ μόλυσμὸν, corruptelam & inquisitionem seu labem, talis Apostatam illum Draconem in se habitantem fouet.

Hæc Apostolica ac primitiua ecclesia Græcorum, ad quam me prouocas, & antiquorum patrum scripta cum legi, Possuine, tantum abest, quemadmodum impudentissimè fingis, ut me aliquando fidei catholicae contraria docere agnoscens damnatum esse clamarem: ut doctrinam Apostolicam in primitiua ecclesia propagatam, contra conscientiam à vobis allegari, imò veteratorie & flagitiose corrumpi & aboleri euidentissimè cernam.

Tueris impudentissimum Syricij P. P. Decretum, quo Sacerdotibus coniugium ea etiam de causa prohibendum decernitur, quòd, qui secundum carnem uiuunt, Deo placere non possint, cum carnis opera à Deo damnata, Paulus non coniugium à Deo ipso mandatum & sancitum, sed scelera & flagitia, lege Dei pro-

H liuita,

hibita, qua auersatur Deus & pœnis presentibus & aternis punit, appellet, Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, emulationes, rixæ, dissensiones, sectæ inuidia, homicidia, ebrietates, commessationes & his similia. De quibus prædico vobis, quod qui talia faciunt, regnum DEI non hereditabunt.

¶ An tu, cum Siricio tuo, Possuine, inter hæc carnis opera, ex hereditate regni cœlorum excludentia, coniugium Honorabile coram DEO, & thorum castum & impollutum accensere audes? An non Ignatius, Ioannis Euangelista discipulus, optat dignus in regno DEI inueniri, ut ad pedes illorum coniugum Abrahami, Isaaci, Iosephi, Esaiæ & aliorum Prophetarum, item Petri, Pauli & aliorum Apostolorum, locum habeat. ¶ An in Sacerdotibus, qui unius uxoris viri sunt, non permanebit spiritus DEI in aeternum, quia caro sunt? ut impuro ore blasphemias.

¶ Ad dis, facile me intellecturum, à tempore Apostolorum, quicumq; ob sanctitatem episcopi, aut sacerdotes in honore ab ecclesia habitum fuere, nunquam eos

eos

eos uxores duxisse, aut si ante ordinationem duxerunt, ab earum postea consuetudine prorsus abstinuisse.

An verò non pudet te Possuine manifesta vanitatis, de qua ex uniuersa ecclesie historia redargui possis? Nam ut de Apostolis ipsis taceam, qui maritos honestos, uxorem & liberos habentes, eligi Episcopos & Diaconos iubent: an non in honore ob sanctitatem & doctrinam in ecclesia fuerunt, Hilarius Pictauorum Gallia episcopus & confessor, qui anno Christi 370. floruit? cui non progenies nocuit, non obstitit uxor Legitimo coniuncta thoro, non horruit illa Tempestate Deus thalamos, connubia, tadas. Sola erat in precio, quæ nunc incognita, virtus.

An non Polycrates Ephesi episcopus, ad Victorem, P. P. Romanum, septem ex parentibus suis per ordinem fuisse episcopos, quorum ipse octauus sit, commemorat? Quid de Spiridione Cypri Episcopo dicas, cuius sanctissimi viri puritatem, & ecclesiastici ordinis obseruationem exquisitam, in admiratione fuisse vetustas iudicat? an non uxorem & liberos, & in his filiam Irenen habuit? nec tamen propterea coram DEO inferior fuit. Apud Eusebium Charemon

H ij episco-

episcopus Nilopolis cum grandaeva coniuge in exilium profectus nusquam apparuisse scribitur, qui fortè, ut Enoch, viuis in caelum translatus est.

Honoratissimos in ecclesia episcopos, Basilium, & Nazianzenum, parentibus episcopis prognatos, & Gregorium Nyssa episcopum, Basilij fratrem, maritum fuisse, omnibus, qui historias legerunt, notum est. Omitto plurimos alios, quorum à P. P. etiam scriptoribus nomina recensentur.

At post ordinationem episcopi ab uxorum consuetudine apud Gracos prorsus abstinuerunt, inquit Posseninus. Quae isthac impudentia est talia affirmare, cum uniuersalis Synodi Byzantina VI. decretum solenne prorsus contrarium extet.

In summo honore sui temporis, & admiratione totius posteritatis fuit SYNESIUS Cyrenaica episcopus, qui disertè testatur, se in episcopatu, non ut adulterum clam uxoris suae consuetudine usurum, id enim minimè iustum esse, sed cupere se episcopum etiam, multos & bonos ex ea cultores Dei suscipere.

ἢ τε ἱερά Θεοφιλεῖς χεῖρ, γυναικα Ἰπιδεδώκη. Πραγορεύω τοίνυν ἅπασιν καὶ μαρτύρομαι, ὡς ἐγὼ ταύτης, ἔτε ἀλλοτριώσομαι καθάπαξ, ἔτε ὡς μοιχὸς αὐτῇ λάτρεα σιπέσομαι. τὸ μὲν γὰρ ἤκιστα εὐσεβές, τὸ δὲ ἤκιστα νόμιμον. ἀλλὰ βεβλήσομαι τε καὶ εὐξομαι συχνά μοι πάνυ καὶ χρηστὰ ἡμέων παυδία.

Extant

Extant etiam in ipsis Iuris Pontificij Canonibus Testimonia, qua Sacerdotes & Diaconos iam ordinatos consuetudine coniugali usos declarant dist. 31. C. Aliter se orientaliū traditio habet ecclesiarum, nam earum Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi in matrimonio copulantur.

Cumq; de Græcis ecclesijs præcipuè inter nos agatur: Id enim oppugnat Possennus, quod maritos à Sacerdotio apud Græcos non arceri in Oratione mea scripsi: omisis occidentalibus, Græcas seu orientales Synodos ab ipso Possennino titulo tenus citatas consideremus. Allegat concilium Ancyranum, quod manifestissimè testatur, etiam post ordinationem licuisse Diaconis matrimonia contrahere, qui licentiam ab episcopo habuerunt. Potuerunt itaq; episcopi dare facultatem ducendi uxores Diaconis iam ordinatis. Canon. X. Diaconi, quicumq; cum ordinantur, in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes velle se habere uxores, nec posse continere, hi postea si ad nuptias venerint, maneat in ministerio, propterea quòd his episcopus licentiam dederit.

Ex Niceno I. Canonem tertium allegat, in quo sancitur, Ne quis episcoporum, caterorumq; clericorum,

H iij rum,

rum, cum extraneis seu subintroductis mulieribus habitet. Has ille legitimas uxores seu coniuges intelligi vult, cum vel ex (Chrysofomi Sermone ^{περὶ τῶν ἐκκοιτῶν} ^{οὐκ ἐπιτρεπτοῦς}) constet, non uxores legitimo coniugio iunctas, sed contubernia mulierum non coniugatarum hoc Canone prohiberi.

Interea nullius momenti apud Possevinum est, quod in presenti controuersia præcipuum est, quod Historia ecclesiastica refert. In deliberationibus Synodi Nicenæ visum fuisse aliquibus, introducere legem, ut Episcopi, & Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent. Surgentem autem in medio Paphnutium confessorem contradixisse, honorabiles confessum nuptias: & castitatem dixisse, concubitum cum propria coniuge. Suasitque concilio, ne talem poneret legem, grauem asserens esse causam, quæ aut ipsis aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum esset inexpertus, exposuit. Synodusque laudauit sententiam eius, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in uniuscuiusque voluntate, non in necessitate dimisit.

Hoc insigne Synodi Nicenæ testimonium, ut eludat &

dat & ecclesia eripiat Posseninus, Socratem historiae ecclesiasticae scriptorem probatissimum, mendacij accusari à Gregorio Papa, ideoque ecclesia catholica nunquam fuisse probatum ait. At locum illum Gregorij, si inspexeris lector, Posseninum ipsum de Socrate mentiri apprehendes. Nullam enim mentionem Socratis à Gregorio fieri cernes, sed Sozomenum solum à sede Apostolica non recipi videbis in ijs, quae de Eudoxio & ipsius sectatoribus damnatis scribit, imò & Synodi Constanti-nopolitanae I. acta non recipi à sede Apostolica scribit, nisi quae contra Macedonium definita sunt. An verò propterea vera non erunt, quia Gregorius ea non recipit? Atqui de Eudoxio Ariano subdolo, cuius consilio postea Gothis, doctores fidei christiana ab Imp. petentibus. Ariani missi sunt, non Sozomenus solus, sed & Theodoretus & Socrates saepe meminereunt.

Et si igitur aliquod haec Gregorij epistola, in Sozomeni autoritate labefactanda, pondus haberet: tamen ad Socratem nihil pertinet, qui eandem de Paphnutio historiam recitat. Quod si huic de Sozomeno Gregorij epistola tantum tribuit Posseninus: an igitur proximè praecedentis epistola testimonium idem momentum habere volet? ubi fidenter affirmat Gregorius,

Lib. 6.
Epist. 31.

Lib. 15.
Cap. 11.

August.
Tom. 7.
fol. 83. riuus, Quisquis se uniuersalem episcopum uocat, uel uocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrere quia superbiendo se cæteris præponit. Neq; enim quisquam se Episcopum episcoporum constituit.

At Nouato fauerunt Socrates & Sozomenus. Nunc igitur, si modò uerum est quod obijcis, Historia rerum in ecclesia gestarum, uerissimè ab eis scripta, eam ob causam reijcienda est. Eusebius signifer fuit Ariane factionis, ideoq; ab Athanasio etiam post Nicenam Synodum passim traducitur. Num propterea fides historia illius ecclesiastica deroganda est. Nullam igitur prorsus historiam ecclesie Christiane, dignam fide, primis trecentis annis usq; ad Constantini tempora habebimus.

At præcisè aduersatur hæc Paphnutij historia, tertio Concilij Niceni Canoni, cui tot patres sanctissimi subscripserunt? Respondeo nequaquam aduersari. Non enim prohibet tertius Canon (Ne quis episcoporum cæterorumq; clericorum cum extraneis mulieribus habitet) cohabitationem cum propria coniuge, sed contubernia mulierum non coniugarum, seu extranearum, ut Ruffinus uertit, quas οὐκ ἑσθλὰς nominarunt, de quibus & multorum patrum orientis epistola

Stola ad Dionysium Pontificem Romanum de Paulo Samosatense, contubernium mulierum, quas σπεισίκτους Antiocheni appellant, (non uxores coniugatas, ut fingit Possevinus) sacerdotibus permittente conqueritur, à quibus Nazianzenus etiam dehortatur.

Τὰς ἢ σπεισίκτους, ὡς δὴ Φάσκησιν ἅπαντες,
 Οὐκ οἶδ' εἴτε γάμῳ δώσομαι, εἴτ' ἀγάμης
 ἢ ἡσομαι, εἴτε μέσον τι φυλάξομαι. ἔ γ' ἐγὼ γὰρ,
 Κἂν με λέγητε κακῶς, τὸ πρᾶγμα ἐπαμείσομαι.

Quales verò fuerint mulieres, Chrysostomus in Sermone πρὸς τοὺς σπεισίκτους ἔχοντας declarat. Sunt qui puellas innuptas, aut viduas, sine nuptijs & concubitu ducentes, domi perpetuò collocant, & ad extremam usq; senectam secum inclusas tenent, non liberorum procreandorum causa, neq; enim aiunt, se cum eis rem habere, neq; libidinis gratia, siquidem illas se dicunt incorruptas inuiolatasq; seruare. Non igitur legitimas uxores, Canon Nicenus, sed mulieres extraneas, seu subintroductas, seu non coniugarum contubernia, exceptis matre, sorore, amita &c. vitare iubet, ut manifesta impudentia sit, ad prohibendam coniugum propriarum cohabitationē verba Canonis detorquere.

At denuò instas Possevine, Paphnutium simul adiecisse, non esse permittendum, ut sacris ordinibus

I imitiati,

initiati, postea ducerent: & antiquam ecclesie traditionem allegare. At multò antiquior & sacratio-
 est Traditio ipsius DEI Verbo ecclesie tradita,
 qua & in veteri testamento Sacerdotes, quibus quo-
 tidie sacrificium Deo offerendum erat, uxorem ducere
 iubet: & in nouo Testamento, uxorem & liberos ha-
 bere episcopo & presbytero concedit, & honorabile con-
 iugium in omnibus, (etiam sacerdotibus) & castita-
 tem esse cum propria uxore consuetudinem coniuga-
 lem adfirmat.

Nec uniuersalem illam traditionem, de uxore
 post ordinationem non ducenda, fuisse, Concilij Ancy-
 rami, quod circiter xx. annos Nicenum precessit, Ca-
 non X. docet, qui Diaconis, etiam post ordinationem,
 matrimonium contrahere concedit, cuius paulò ante
 verba recitavi.

Ea Synodus cum à te ipso nominatim citata sit,
 aliquid credo valere eius auctoritatem sine.

Quòd si GANGRENSEM quoq; Synodum,
 qua non longo interuallo Nicenam secuta est, citare
 tibi libuisset: multò illustriora veritatis testimonia
 aduersus ^{ὁμοῦ καὶ ἑνὸς} tuum Eustachium, qui Sacerdotum
 in coniugio uiuentium Benedictionem & communio-
 nem

nem fugere tanquam abominationem iussit, reperisses. Ita enim Canone iij. definit. Quicumq; discernit presbyterum coniugatum, quod propter coniugium non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit, & Cano. I. Si quis vituperat nuptias (sacerdotum vel alias) & dormientem, cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur aut culpabilem existimat, velut quæ in regnum Dei introire non possit, anathema sit.

Sed in re manifesta pluribus verbis nihil opus est, cum iure diuino coniugium in veteri & nouo testamento Sacerdotibus permitti: tantum autem humanis legibus & episcoporum statutis prohiberi manifestè omnibus constet, & Pontificij scriptores, in quibus aliquid conscientia est, ipsi relaxari legem de cœlibatu optent, & fœdissimos fructus ac tetra & horrenda flagitia & scelera per legem de cœlibatu, sub pretextu puritatis, mundicie, castitatis, sanctimonie, in ecclesiam velut diluuium inuecta, deplorent. Nulla hic arcana reuelo, non ignota loquor, liceat vulgata per orbem referre, canit Mantuanus scriptor planè Catholicus & Carmelita monachus, quæ referre me sanè pudet.

I ij Erasmus,



Erasmus, quo neminem sapientia, doctrina & eloquentia laude celebriorem in Germania patronum Pontificij habuerunt, testatur, *NVS QVAM MINVS IN QVINATAM, MORVM INTEGRITATEM,* quàm apud coniugatos reperiri, ceteros sub umbra castitatis turpius libidinari, ac rogat, ne quis hic cogat esse disertum. Idem, plerosq; istorum, qui nunc continentiam profitentur, longè aliò spectare ait, nimirum ad ocium, ad culinam, ad tyrannidem, ad licentiùs tutiusq; peccandum, ad præbendas & dignitates, ad præposituras & abbatias. Quid autem mirum, si etate Augustini dicta sunt aliquot virgines sanctimoniales nupsisse, cum hoc seculo tot dicantur esse monasteria, quæ nihil aliud sunt quàm publica lupanaria, plura priuata, tum in his quæ maximè probata & disciplina sunt, multò plures sint, quæ velum habent, quàm quæ virginitatem.

Meministi Possuine, quid Bauaricæ Historiæ scriptor catholicus Auentinus, de lege cœlibatus ab Hellebrando P. P. clericis imposita, sub catholicis Principibus Bauariæ scripserit, annis amplius mille post Christum natum Sacerdotes illa tempestate publicè uxores, sicuti ceteri Christiani, habuisse, liberos
pro-

procreasse &c. His cum connubio interdiceret Hildebrandus, maxima pars sub honesto (castimonia (summa & decentissima puritatis Posseniniana) nomine, stupra, incestus, adulteria, passim & impune committebant, & postea, Gratissima hac (Lex de cœlibatu) fuit scortatoribus, quibus, pro una uxore sexcentas iam mulierculas licebat &c. (pudet enim me sequentia adscribere) sed plerisque Episcopis, alijs eruditissimis, simplicibus, apertis atque bonis, nouum dogma, pestifera heresis quæ unquam Christianum conturbasset regnum, visa est, & Maximilianus I. Imperator Matthiæ Lango Gurcensi, Bauariae episcopo, Cardinali postea Saltzburgensi, falsè aliquando obiecit, Sacerdotes Laicis unam uxorem permittere, quam, qualibuscumque moribus sit, nunquam dimittere liceat, Sacerdotes verò quotcumque velint habere, & dimittere cum velint, & alias ducere pro libidine.

Annon Pius II. Pontifex Romanus, ipse dixit, fuisse aliquas causas, cur Sacerdotibus adimeretur coniugium, sed multò maiores causas esse, cur restituendum sit. Et alius. Ex nimis rigida & intempestiua huius constitutionis (de cœlibatu sacerdotum) exactione, grauissima & abominanda in ecclesia scandala
I iij extitisse

extitisse videmus: nam causa illa, quibus maiores ad
 cōstitutionem hanc faciendam inductos esse diximus,
 non solum hodie cessarunt, sed etiam in contrarium
 sunt conuersa, nam primum videmus hoc decreto vsq;
 adeò castitatem & continentiam in clero non confir-
 mari, ut per illud ad omne libidinis & flagitij genus,
 fenestra aperta esse videatur. Item vsq; adeò non
 refrenatam in clero auaritiam, ut etiam frena ma-
 gis laxata videantur, tum res in plerisq; sacerdotibus
 ita comparatae sunt, ut coniugum piarum consortio
 non modò ad functiones ecclesiasticas obeundas non
 impediuntur, sed etiam ad earum procuracionem ad-
 iuuentur ab eis: Quemadmodum de patre suo Grego-
 rio & matre Nonia Gregorius Nazianzenus te-
 statur, sunt & contra pleriq; cœlibes, qui vsq; adeò
 cœlibatu suo, ad ea, quæ Dei sunt expeditius curan-
 da, non incitentur, ut etiam contra curis huius seculi
 supra reliquos homines immergantur, & obruantur.
 Ad ea igitur incommoda & scandala euitanda &
 tollenda, restat primum ut in posterum ordinandis hoc
 statutum relaxetur, & more veteris ecclesiæ, & huc
 vsq; Orientalium Ecclesiarum, honesti quoq; mariti ad
 ecclesiæ ministerium admittantur, & extra tempus
 mini-

ministerij, familiaritate quoque suarum coniugum, uti permittantur, iuxta Canonem sextæ Synodi generalis, quo decernitur, nullo modo legitimas Diaconorum & Presbyterorum nuptias esse dissoluendas, nec ante ordinationem ad profitendam castitatem esse cōpellendos.

Nec audiendus est novus quidam in ecclesia dogmatistes, qui unus contra omnium veterum, & recentium ecclesiasticorum scriptorum sententiam, cōlibatum ordini sacro, hoc est, substantialiter & lege divina adiunctum esse contendit, nec esse in potestate Pontificis nec ecclesie, ut coniugij usum sacerdotibus permittant, non magis, quam furandi aut latrocinandi, atque eo modo universam ecclesiam tam Orientalem quam Occidentalem violati divini iuris accusat: illam, quod coniugium in Sacerdotibus hactenus observavit: hanc, quod eam recte facere iudicavit. Caietanus certe Cardinalis, Ordinem non esse impedimentum matrimonij fatetur, & Innocentius Papa ipse in C. placet, de conversione coniugatorum ait, Matrimonium iure divino non prohibere susceptionem sacrorum ordinum: sed tantum ex constitutione ecclesie. Imò etiam post consecrationem sacerdotem posse contrahere matrimonium, nisi ecclesie statuto hoc prohibitum esset.

Franciscus
Turrianus
seu Torren-
sis lib. 2. de
dogmaticis
Charact-
ribus.

Quæ

Qua autem autoritas talis statuti esse potest? quod legi DEI, sacerdotibus in veteri & nouo testamento coniugium permittenti, quod expressis Canonibus Apostolorum j. Timoth iij. Tit. j. & alibi: quod primitiuae ecclesiae testimonijs, quod vetustissimarum Synodorum, Nicena, Gangrensis & Sexti uniuersalis Concilij Constantinopolitani, & tot piorum, sapientum & doctorum iudicijs repugnat.

Sexta Possuini impostura traducit, quod Chrysostomi Liturgiam, Oblationem corporis & sanguinis Christi, pro animabus ex igne purgatorio liberandis, nullam facere adfirmo. Corradit igitur ex alijs Chrysostomi operibus dicta, quae memoriam mortuorum & Orationes pro mortuis offerri praecipunt. Non defatigemur, inquit Chrysostomus, preces pro mortuis offerendo. Communis totius orbis victima preces sunt. Ergo Chrysostomus oblationem pro animabus defunctorum Deo offert.

Atqui scis Possuine non de sacrificio precum, sed de ceremoniali sacrificio corporis & sanguinis Christi, quod Missa proprium esse vultis, an pro viuis & defunctis ex purgatorio liberandis in Chrysostomi Liturgia offeratur, inter nos disceptari. Scimus veteres loqui

loqui de Oratione pro mortuis (inquit Apologia Conf. August.) sed applicationem Cœna Domini pro mortuis ex opere operato improbamus. Quam ex Chrysostomo nunquam probabis. Scimus oblationes ciborum & aliorum munerum, ad usus pauperum & clericorum, olim in exequijs mortuorum & Anniversarijs fieri solitas, nec celebrationem & usum Cœna Domini, cognatis defuncti olim in funeribus consuetum (unde Oblationis & Missæ pro defunctis nomina & ritus primum orti sunt) quisquam prohibet.

Sed Cœnam Domini pro animabus mortuorum ex Purgatorio liberandis applicare, vel hac opinione pro mortuis orare, quasi nunc in Purgatorio igne cruciantur, unde nostris precibus & sacrificijs redimendi sint, id etiamsi à Chrysostomo diceretur: tamen clarissimis verbi divini testimonijs, quæ animas piorum hinc discedentes rectè in sinum Abrahe, seu Paradisum, seu vitam aternam, non in cruciatus purgatorij venire, nec post mortem ullum indulgentiæ ac satisfactionis pro peccatis, per nostra vel aliorum opera exoluenda locum esse docent, aduersa fronte repugnare alibi demonstratur. Luc. xxiiij. Hodie mecum eris in Paradiso. Sapient. iiij. Iustorum anima in manu Dei

K

sunt,

sunt, & non tanget eas tormentum mortis, sed sunt in pace. ij. Cor. v. Reportabit unusquisq; iuxta id quod fecit in corpore. Galat. vj. Unusquisq; proprium onus portabit. Quidquid enim seminauerit homo hoc & metet, sicut Matth. xxv. in sententia extremi iudicij commemorantur opera, non quae alij uiuentes pro defunctis fecerunt, vel ipsi post mortem in Purgatorio passi sint, sed quae credentes in Christum benedictum, & proximo egenti beneficientes, ipsi in hac uita praestiterunt. Ebre. ix. Statutum est hominibus semel mori, postea iudicium. Nam post anima à corpore excessum, statim fit bonorum & malorum distinctio, inquit Iustinus Quast. lxxxv. Ducuntur enim ad loca, quae eis digna sunt ab Angelis, bonorum quidem in Paradisum, improborum uero ad inferorum loca. Eccle. xj. In quemcumq; locum ceciderit arbor, in eo permanebit. Haec uerba interpretans D. Ieronimus addit, Mortis tempestate submersus, quasi lignum, ubicunq; cecideris, ibi iugiter manebis, siue te rigidum & truem, siue clementem & misericordem ultimum inuenerit tempus.

Cumq; alioquin sacrificij aut Orationis pro mortuis in tota ueteris & noui testamenti scriptura Canonica

nonica, nec mandatum ullum, nec doctrina, nec promissio, nec exemplum in tot funerum historiis extet: tutissimum est in uniuersum eam omitti. Nam quod sine scripturae autoritate dicitur, eadem facilitate contemnitur qua recipitur. Et quò euaserint tandem, licet non mala pietatis specie initio susceptæ Orationes & Oblationes pro defunctis: tetræ superstitiones & abusus idolatrici secuti testantur.

Nam quod ad unicum ij. *Maccab.* xij. capituli exemplum attinet: manifestum est, non modò librum esse apocryphum, ex quo nulla ad ecclesiasticorum dogmatum autoritatem confirmandam testimonia depromi possint: verum etiam exemplum illud cum regula uerbi diuini perpetua & immota ex diametro pugnare, dum ex opere operato, peccata interfectorum, qui sine pœnitentia decesserant, sacrificio expiari posse cogitat. Quod ne Pontificij quidem ipsi probare audent.

Nec in Græco fonte fit expressis uerbis mentio sacrificij pro mortuis, sed tantum misisse 2000. drachmas *Maccabæus*, *ἑξομαχῶν τε καὶ ἀμαρτίας δωδία* dicitur. Nec ulla eo ipso in loco, uel unicâ syllabâ, Ignis Purga-

K ij torij

torij vel cruciatuum, ex quibus ante resurrectionem suffragijs viventium liberari possint, sed tantum resurrectionis mentio fit, in qua bis mille istos Iudæos, qui in sua impietate interfecti fuerant, sacrificio pro peccato expiatis, cum ceteris pijs consistere & saluari posse, sine ullo verbi Dei testimonio ratiocinantur, si tamen non tota illa narratio commentitia est, cuius nec j. Maccab. v. eandem historiam recitans, nec Iosephus, ullo verbulo meminerunt.

Longam postea Dionysij, quem Areopagitam vocant, laudationem Possevinus, Erasmo, homini plus Grammatico quam Theologo, ipse θεολογώτατος opponit, & sanctam Romanam catholicam ecclesiam, ritus Apostolorum à Dionysio descriptos inter medias hereses retinere iactitat: cum nullum, ne quidem in Missa seu Synaxeos Dionysij ritibus, sacrificij corporis & sanguinis Christi, pro vivis & defunctis vestigium monstrare possit, ne dum in unctioe & exequijs defunctorum, ubi Dionysius, Oleo sacro, non agrotos adhuc viuentes, ut Pontificij, sed iam mortuos ungit, & Orationem pro mortuis fundit, quæ in Vigiliis deinde translata est, ut DEVS defuncto propitius sit, eumq; in lumine & regione viventium in
 sinu.

sinu Abrahae, Isaac & Iacob collocet &c. Cui Oratio-
ni epiphonema Possevinus adiiciens. Nullum ne
ergo inquit, Chytræ, Oblationis pro mortuis hinc ve-
stigiū cernis?

Ego verò applicationis Cœnae Domini pro mor-
tuis, & oblationis corporis & sanguinis Christi in
Missa, pro animabus ex igne Purgatorio liberan-
dis, nullum in hac Dionysij precatōne, nec ullis alijs
ipsius scriptis, vestigiū ab ullo etiam Lynceo cerni
posse, adfirmo.

Quod verò ad Orationes pro mortuis attinet:
has scimus veteres, non velut satisfactiones pro pec-
catis mortuorum, aut redemptiones animarum ex pœ-
nis Purgatorij usurpasse, sed ut superstitēs, & lügen-
tes, fidem suam de beata requie & salute piè defun-
ctorum & condonatione reliquiarum peccati, quas
in carne circumtulerunt, confirmarent, & promissio-
nes de remissione peccatorum, & beata conditione
& statu animarum sibi arctius infigerent & ap-
plicarent, & promissionum illarum cogitatione se
erudirent & consolarentur, & se defunctorum desi-
derio, verè & ex animo affici, & benè ipsis velle, ac
beata omnia precari declararent, sicut ex Dionysij

K iij Hierar-

Hierarchia Ecclesiastica cap. vij. verbis perspicuum est, quibus precatur sacerdos diuinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuatur & regione uiuorum, in sinibus Abrahae Isaac & Iacob, in loco unde aufugit dolor & tristitia & gemitus. At fortasse inquires (adhuc verba Dionysij recenseo) te ambigere, cuius rei gratia praesul diuinam precatur clementiam defuncto peccatorum veniam postulans, aequalem sanctis ac lucidissimam sortem. Si enim eorum, quae in vita gessit, bonorum aut malorum à diuina iustitia percipiet praemia, perfecit autem actiones suas in vita ista defunctus: quanam hunc oratio praesulis ad aliam (praeter illam quam meruit: vita hic acta respondentem) transferet requiem? Non ignoro quidem & ego diuinis eloquijs accedens: singulis reddendam pro meritis sortem, conclusit enim, inquit, apud se, & referet unusquisque ea quae per corpus gessit, siue bonum siue malum. Quod autem & iustorum preces etiam in vita ista & nedum post mortem, ijs solis prosint qui digni sunt: scriptura nos edocet sacrosancta traditio. Quid enim Sauli profuit Samuelis

muellis

muelis oratio: Quid Hebraeorum iuuat plebem, pro-
 phetica interpellatio? Huic obiectioni postea
 Dionysius respondens, ait, Venerandus antistes de
 scripturis diuinitus traditis didicit, ut ijs, qui pie
 vixerunt, iucundissima diuinaque vita pro meri-
 to redditur, non recordante diuina bonitate per
 summam clementiam maculas, quae illis ex hu-
 mana infirmitate adhaeserunt, nullus enim est mun-
 dus à labe. Ista quidem nouit Pontifex promissa
 à sanctis eloquijs: PETIT AVTEM EA FIERI,
 DONARIQUE EIS, QUI PIE VIXERVNT,
 PRAEMIA SACRA: SIMVL QVOQUE SE-
 IPSVM AD IMITATIONES DEI BENI-
 GNIVS FORMANS, & aliorum dona quasi pro-
 prias expetens gratias, nec ignorans veras repromis-
 siones futuras. Presentibus etiam aperte demonstrat,
 quòd (quae ab eo sacro iure postulantur) omnino illi
 consequentur, qui in vita diuina consummati sunt.
 Postulat itaq; sanctus Antistes quae sunt promiss-
 sa diuinitus, atq; accepta Deo, & quae largienda non
 ambigit, & presentibus aperte insinuat quibus bonis
 donandi sunt sancti. Hactenus Dionysius. In hanc
 sententiam, factas pro mortuis preces, non ut ex
 studio

Igne

Igne Purgatorio liberentur, sed ut superstites & lu-
 gentes fidem suam de beata requie & salute piè defun-
 ctorum confirment, & promissiones remissionis pecca-
 torum & vitæ aeternæ sibi applicent, & se mortuo be-
 neuelle, & omnia bona optare declarent: Apologia
 etiam Confess: Aug. non improbari ait. Quis enim
 non benè precetur amicis mortuis, ac ut Deus ipsis
 propicius & clemens sit, ex animo optet? Sed nostris
 precationibus & sacrificijs ex igne purgatorio mor-
 tuos liberandos esse, nusquam sacra scriptura præci-
 pit. Cum igitur nec promissio, nec exemplum in sa-
 cra scriptura ullum de Oratione pro mortuis extet:
 nullum esse articulum fidei, aut cultum Dei necessa-
 rium, manifestum est.

PURGATORII verò Ignis apud inferos, pec-
 catorum labes post hanc vitam exurentis dogma, ex
 Platonis Gorgia, & Phadone, & Poëtarum figmen-
 tis ethnicis, ab Origene primum in ecclesiam Christi
 inuectum, & apparitionibus spirituum ac spectris
 postea confirmatum & auctum esse, omnibus constat.
 Manifesta autem Regula & principia fidei Chri-
 stiana sunt, Non à mortuis veritatem. Ad legem
 magis & testimonium: Quòd si non dixerint iuxta
 verbum

verbum hoc, non erit eis matutina lux. Et, frustra colunt me mandatis hominum. Ignis verò Purgatorij apud inferos peccata expiantis, nullum in tota veteris Et noui Testamenti scriptura Canonica, vel testimonium expressum, vel exemplum extat, tametsi creberrima mortis Et sepultura defunctorum mentio, in tota Patrum, Prophetarum Et Apostolorum historia fiat. Sed de Purgatorio post mortem, Et de sacrificijs ac precibus ex Igne Purgatorio defunctos releuantibus, in Moysè etiam prolixè Et scrupulosè omnia sacrificiorum genera enumerante, syllaba nulla comparet. Quod autem sine scripturae auctoritate dicitur: eadem facilitate contemnitur, qua recipitur, ut Hieronymi verbis utar.

Quod verò ad Græcos attinet, à quibus, Eos, qui in fine vitæ primùm ad Deum conuersi sunt, alio loco media conditione inter beatos Et damnatos collocari dixi, unde eos eleemosynis Et precationibus uiuorum liberari sentiant: sed tamen hunc locum IGNEM Purgatorium non appellare: verbotenus ferè hanc totam sententiam ex Actis Synodi Ferrariensis Et Florentinae, cui unà cum Imperatore Palaeologo, Patriarcha Græcorum Iosephus, Et Episcopi

L Græcarum

Græcarum Ecclesiarum præcipui interfuerunt, descripsi, ubi in publica Synodi disputatione Græci de Purgatorio sententiam suam declarantes, post expositionem loci 1. Cor. 3 non de igne purgatorio sed æterno, addunt. Nos enim (Græci) P V R G A T O R I U M, N O N I G N E M, sed obscurum quendam locum & laborum plenum esse censemus, in quo quidem existentes animæ, lumine diuino priuantur, donec coadiuante Ecclesia expientur & liberentur. Hæc cum ex ipsius Græca Ecclesia, Confessionē suam in Florentina Synodo publicè per legatos edentis ore descripta sint: tamen mendacium esse, Possewinus mendaci ore clamat, quòd scripsi, locum hunc Purgatorium, I G N E M à Græcis non appellari.

Acta igitur Generalis 8. Synodi Græcorum et Latinorum Florentina, quam Pontificij sic appellant, ex quibus hæc descripta sunt, mendacij arguat, non me, qui nihil de dogmatis Purgatorij veritate aut falsitate in ea oratione disputans, nec Græcis aut Pontificijs aut Lutheranis quidquam præiudicans, nudam ac simplicem præsentis doctrina ac fidei Ecclesiarum Græcarum historiam recito.

Nihil de Apologia Græcorum in Basiliensi Synodo

odo exhibita, quæ expresse ignem purgatorium refutat, dicam. In ipsis Florentina Synodi literis unionis Græcorum et Latinorum, quas Possevinus allegat, non IGNIS, sed pœna purgatoria in genere nominantur. At illas ipsas unionis literas, post Iosephi Patriarchæ Græcorum mortem, Florentiæ erectas, à quibusdam in ipsa Synodo reclamantibus Græcis Episcopis nunquam comprobatas, & postea reuersis domum legatis publico decreto à Græcis reiectas et damnatas esse, omnibus notum est. Citas Maximum et Ioannem Damascenum, cuius nomine extantem orationem de Defunctis si probas, impios etiam Idolatrias ac ethnicos, sine agnitione & fide Christi & sine ulla pœnitentia mortuos, liberari ex igne purgatorio, precibus et alijs bonis operibus posse docebis. Affirmat enim Damascenus tuus, Traiano Casari ethnico, veniam peccatorum, ad preces Gregorij, aliquot post mortem illius seculis à Deo donatam esse: adfirmat Falconillam ethnica & in gentili impietate mortuam nescio cuius martyris precibus saluatam. Narrat Macarium pro mortuis precantem, ex arido cranio, cui sermonem veritatis Deus inspiravit, de statu defunctorum multa didicisse. Has fabulas si pro articulis fidei, quia in oratione

L ij

Damasc-



Damasцени de defunctis recensentur, tueri voles: non mirum est, ignem etiam purgatorium, illius auctoritate à te defendi.

Sed in libris de Orthodoxa Fide Damasцени, quibus uniuersa Theologia summam complecti voluit, nullum de igne purgatorio apicem reperio: sicut nec inter Gregorij Nysseni opera, quæ ego Colonia edita habeo, ea quæ citas hæctenus inuenio. Nec ex Nysseno, sed Prophetarum, Christi & Apostolorum doctrina, confirmationes dogmatum petendas esse scio.

Ex Theodoro erasum esse in Græcia locum de purgatorio coniectas. Cur non similibus & grauioribus coniecturis, multa à monachis latinis supposititia in veteribus inserta esse dicis? Miram enim audaciam & impudentiam fuisse describentium veteres libros constat, qui ut imponerent indoctis, multa de suo, cum autoribus pugnantia adscripserunt.

Dionysij verò Areopagita, ut nominas testimonium à te laudatum, & paulò antè à me integrè recitatum, quid queso ad Ignem tuum purgatorium fouendum, ponderis habere potest? Cuius ne scintilla quidem elici, ex citata Dionysij precatatione & omnibus illius scriptis potest.

Quod

Quod ad Lutherum attinet, quis nescit initio disputationis de Indulgentijs, eum, non modò purgatorium, sed etiam Romani Pontificis primatum, & alias eius temporis publicas persuasiones, non impugnasse, donec paulatim illustrata certaminibus vera doctrina luce, ut plurimos alios, ita hunc quoq; de cruciatibus & pœnis piè defunctorum apud inferos errorem refutavit.

Septima Possuini Impostura prolixè exagitat, quòd Inuocationem hominum mortuorum & imaginum, apud Græcos quoq; usitatam, velut tetram & idolatricam improbem, & ex Ecclesia agro & finibus exterminandam esse iudicem. Itaq; Mariæ virgini matri, & sanctis in cælo, me bellum inferre, & blasphemias aduersus Deum, & tabernaculum eius, ac eos, qui in cælo habitant, effundere, & Mariæ ac sanctis honores debitos inuidere &c. declamitat. Huic ut falsissima, ita prorsus Tragica criminationi, initio solis Epiphaniæ, Græcæ Ecclesiæ Doctoris præcipui, verbis respondebo. Reuera sanctum erat corpus Mariæ, Reuera virgo erat ipsa virgo & honorata, sed non ad Adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa, carne genitus est.

L iij

Sit

Quod

Sit in honore Maria: sed Pater & Filius et Spiritus S. adoretur, *MARIAM NEMO ADORET*, non dico mulierem, imò neq; virum, DEO debetur hoc mysterium. Neq; Angeli capiunt talem glorificationem. Compescantur à Jeremia tales mulieres, ne dicant honoramus reginam cœli, novit .n. Taphnas has punire.

Et antea: Aequale est in utrisq; his sectis detrimentum, cum illi quidem vilipendant sanctam virginem: hi verò rursus ultra decorum glorificent. Non convenit autem colere sanctos ultra decorum, sed honorare ipsorum Dominum.

Qua verò Scriptura de hoc narravit? Quis Prophetarum precepit hominem Adorari, nedum mulierem? Eximium equidem est vas, sed mulier, sicut Helias ex matre virgo, sicut Ioannes, sicut Thecla sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est, propter dispensationem mysterij, qua digna facta est.

Sed neq; Helias adorandus, etiamsi vivus in cœlo sit, neq; Ioannes adorandus, neq; Thecla, *NE QUIS QUAM SANCTUS ADORATUR*. Non .n. dominabitur nobis antiquus error, ut relinquamus viventem, et adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt .n. & adorarunt creaturam præter creatorem, & stulti facti sunt. Si

Si enim Angelos adorari non vult, quanto magis eam, qua genita est ab Anna, qua ex Joachim donata est Anna. An non est idolatricum hoc, mortalem naturam in hominum oculis Deificans, statuas, humanas imagines præ se ferentes, adorare? Et mortui quidem sunt, qui adorantur: ipsorum verò imagines, qua nunquã vixerunt (neq; enim mortua esse possunt, qua nunquam vixerunt) Adorandas introducunt, adulterante mente ab uno & solo Deo.

Hæc tibi Epiphanius pro me respondet Possenine. Hunc igitur in nomine Iesu adiures Possenine, ut conscientiam suam interroget, Cur, cum Ecclesia omnis sciat, credat, fateatur, quidquid in Virgine beatissima, cæterisq; cœlitibus est boni, id ab ipso Deo mansisse: ac verò ancilla et servorũ honorem ad Dominum redundare: se ipsum maceret, quòd à Deo vocatis amicis et sanctis, honor Inuocationis adhibeatur et per eos ad communẽ Dominum aditus pateat? Cur item imprimis sanctissimæ virgini Epiphanius ipse homuncio Honorẽ adorationis, salutationẽ, preces, ab omnibus inuideat? Respondet, Quia Honos solius Dei creatoris proprius est Inuocatio, tribuens Deitatem et omnipotentiam rei inuocata, et quia Idolatricum est mortuos eorumq; Imagines adorare. Cum

Cum Epiphanio igitur, non mecum exostules, si quid hac responsio tuis, dogmatibus Idolatricis dissonum habere videbitur.

Respondeat Ieronimus. Quis, insanum caput, Martyres aliquando adoravit, quis hominem putavit Deum? Nos ne Angelos quidem aut archangelos adoramus, ne seruiamus creaturae potius quam creatori.

Iam meis verbis respondeo. Beatissimam virginem Mariam, DEI tabernaculum, animatum Dei templum, DEI genitricem, Benedictam, Gratiæ plenam, Spiritus sancti organum, virtutum omnium Deo placentium exemplar, summo inter omnes Angelos & homines honore & veneratione dignam esse, vero corde & clara voce profitemur. Omnes etiam Sanctos ceteros, à DEO vocatos amicos, aeterni Dei & servatoris nostri Iesu Christi consuetudine in cælo fruentes, eximio & singulari HONORE afficiendos, & Memoriam eorum grata & honorifica celebratione in Ecclesia conseruandam & ornandam esse, eorumque laudes & prædicationes, ad Dei laudem & prædicationem, à quo omnia sanctorum dona emanarunt, pertinere docemus, ut verè scripsit commilito olim meus

Henricus

~~Henricus Sthenius: Hos ego cum laudo, laus ea tota Dei est.~~ Nam Dei presentia, bonitas, sapientia, veritas & misericordia, in patefactione Doctrina, in collectione Ecclesie, vocatione doctorum, ministerio, doctrina, miraculis, virtutibus, & alijs donis ac liberationibus sanctorum agnoscitur & celebratur: & ipsi sancti laudantur, quod donis Dei fideliter vsi sint: & Exempla fidei, de omnibus doctrina Christiana articulis, Constantia in confessione, Patientia & aliarum virtutum in sanctis lucentia, ceteris ad imitationem proponuntur. Hic verus & legitimus Sanctorum Honos & cultus est. Adorare autem statuas & imagines, & Mariam, & sanctos in Christo mortuos, inuocare, & auxilium ac liberationem in periculis, morbis, morte & alijs vitæ necessitatibus ab eis petere & expectare: id seriò improbamus, & tetram, impiam, à Deo reiectam, & planè ethnicam idololatriam esse docemus, quod affirmat sanctus Thomas vester, Imaginem & crucem Christi eadem adoratione Latria, (Dei propria) qua Christus ipse adoratur, à nobis colendam esse. Hæc enim illius verba sunt in Tertia Summa Quest. 25. art. 3. & 4. Cum Christus adoretur adoratione latria, consequens est, quod

✠

eius

eius imago sit adoratione latrice adoranda. Eadem enim reverentia imagini Christi & ipsi Christo exhibenda est. Et paulo post, CRUX Christi, utroque modo est à nobis veneranda, uno scilicet modo in quantum representat nobis figuram Christi extensi in ea: alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc, quod eius sanguine est perfusa. Vno quolibet modo ADORATUR eadem adoratione cum Christo, scilicet ADORATIONE LATRIAE. Et propter hoc etiam CRUCEM ALLOQUIMUR & DEPRECAMUR, quasi ipsum crucifixum.

Si vero loquimur de effigie crucis Christi in quacunque alia materia, puta lapidis, vel ligni, argenti & auri: sic veneramur crucem tantum ut imaginem Christi, quam veneramur adoratione latrice: ut supra dictum est.

Talem crucis et Imaginum Christi cultum, quæ adoratione latrice, soli Deo debita, adorantur, simpliciter idolatricum esse, tamdiu sentiemus, donec Possuimus blasphemum hoc dogma, pium & orthodoxum esse demonstrabit. Prorsus enim, ut apud Ethnicos, statua Deorum & Heroum culta, et ab alijs alia dona petita sunt: ita in Regno Pontificio, Maria et sanctorum

rum

rum Imagines adorata, et munera inter sanctos distributa sunt, ita, ut ipsi Homines mortui fingantur esse opitulatores, et alij alia bona tribuere, alij alios morbos depellere.

S. Catharina in multis Academijs praeest studijs doctrinae & sapientiae, ut apud Ethnicos Pallas.

S. Nicolaus et Christophorus, tribuunt felicem navigationem, et liberationem ex periculis in mari: sicut apud Ethnicos Neptunus, Palamon, & ceteri Dij, Deaeque marinae.

S. Anna et Erasmus dant opes et diuitias, ut Iuno.

S. Georgius bellatorum & equitum patronus est, sicut Mars, & Castor ac Pollux.

Urbanus & Medardus vinearum ubertati praesunt ut apud Thebanos Bacchus. Wendelinus pastor ut Aristaeus. Morbos depellunt S. Quirinus, S. Antonius, Valentinus, Rochus, sicut apud Ethnicos Apollo & Aesculapius.

Sed Papista singulis ferè morbis singulos medicos praeficiunt. S. Valentinus Epilepsia medetur. S. Antonius igni sacro, quem Graeci Erysipelas nominant. S. Rochus & Sebastianus, peste laborantibus subueniunt, Apollonia dentium,

M ij dolo-

doloribus. Otilia & Juliana oculis medicinam faciunt.

Cyriacus & Anastasius demoniacos liberant.

S. Laurentius & Florianus igni praesunt, & domos aduersus incendia custodiunt, ut apud Ethnicos Vulcanus & Vesta.

Aurifices S. Eulogium: Medici, Cosmam & Damianum: Iurisconsulti, Iuonem: Pictores, S. Lucam: Sutores, Crispum & Crispinianum: Fullones, S. Severum: Dani, Canutum: Sueci, Olauum: & singulae nationes & urbes suos patronos & Deos peculi-
ares habent, sicut in Ieremia dicitur, secundum numerum ciuitatum tuarum sunt dii tui Iuda.

Editum est ante paucos annos Psalterium Vir-
ginis Mariae, Germanicè conuersum, in quo, om-
nes, in Psalmis ad unum solum verum Deum Ie-
hona directæ Inuocantium compellationes, & preces,
ad virginem Mariam transferuntur. In te DO-
MINA speravi, non confundar in aeternum, in Gra-
tiam tuam suscipe me.

In manus tuas DOMINA commendo spiritum
meum, totam vitam & diem ultimum meum. Mi-
serere mei DOMINA, quæ mater vitæ nuncuparis,
& se-

Et secundum viscera misericordiarum tuarum MUNDANDA ME AB OMNIBVS INIQUITATIBVS meis. Qui habitat in adiutorio matris Dei, in protectione eius commorabitur. Domina refugium facta es nobis in omnibus tribulationibus nostris.

Has et similes invocationes Mariae virginis DEI genitricis, quibus palam diuini honores, quod ab omni iniquitate nos emundet, quod in omnibus periculis opem ferat, quod liberet ex morte, ac quod eadem adoratione, latria, qua Christus ipse adoratur, imagines quoque et crux Christi adoranda sint, velut palam idolatricas et Ethnicas improbamus. Hic status controuersiae est Possuine: de quo praecipue dimittatur. Non an colenda et celebranda sit memoria sanctorum, non an honore et laude afficiendi sint sancti, quod prolixè semper concessimus: Sed an eos non solum ut intercessores, verum etiam ut opitulatores, et largitores bonorum inuocare et auxilium ac opem in omnibus periculis, morbis, morte, ab eis petere debeamus, ut in vestro Psalterio Mariae precamini.

Ad beatam Mariam cum tribularer clamaui, et exaudiuit me. Domina libera nos ab omni malo.

M iij

lo. Be-

in faci-

erant.

Et do-
hnicos

am et

S. Lu-

llones,

et sin-

peculi-

nume-

in Vir-

quo, o-

rum le-

preces,

te Do-

in Gra-

spiritum

m. Mi-

uparis,

et se-

lo. Beati qui in ea habent spem & confidentiam. Beati, qui per illam suscipiunt felicitatem aeternam. Qui confidunt in te, mater Dei, non timebunt à facie inimici. Eripe me Domina ab omni malo, & ab hoste inferni defende me, confringe vires eius malignas &c. Has & similes invocationes, non modo testimonia scripturae nulla habere, verum etiam ex diametro cum Norma verbi diuini pugnare constat. Itaque ab Ethnica hac consuetudine invocandi homines mortuos, eorumque statuas adorandi, ad unius solius veri Dei, aeterni patris, filij & spiritus sancti invocationem, unici mediatoris Christi merito & intercessione nitentem, homines reuocamus, iuxta aeternas & immotas Regulas vocis diuinae: DOMINUM DEVM tuum adorabis. Inuoca Me in die tribulationis. Ad DOMINUM cum tribularer clamaui. Quidquid petieritis patrem in IN NOMINE meo dabit vobis, Venite ad ME (CHRISTVM) omnes, qui laboratis et onerati estis. Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt. Atqui in solum Deum, non in sanctos credimus. Solum igitur Deum non sanctos inuocemus. Nec ulla invocatio, nullus cultus placet Deo sine fide, opus illud à Deo precipi et recipi statuente.

tuente. Sed inuocatio beatorum in cælo, nullum prorsus testimonium, nullum mandatum, nullam promissionem, nullum exemplum in verbo Dei habet, quo solo Fides nititur & regitur. Planè igitur inanem & impiam esse talem inuocationem non dubitemus.

Etsi. n. ut alibi dixi, uini pro uiuentibus in hac uita Deum inuocant, ut Moses pro Israëlitis intercedit, Abraham pro Abimeleh, & Paulus 1. Tim. 2. pro omnibus hominib. intercessionem fieri iubet: et Rom. 15. Coloss. 4. pro se preces ad Deum fieri petit: tamen, ut mortuos seu sanctos in altera uita oremus, ut apud Deum pro nobis intercedant: nullum in toto uerbo Dei mandatum, nullam promissionem, nec exemplum ullum habemus. Nobis autem in Ecclesia, ad unicam uerbi diuini Regulam omnis Inuocatio et omnes Dei cultus dirigendi sunt. Nec uiuorum preces, ea opinione, qua Pontificij sanctos mortuos inuocant, pro nobis in hac uita fieri petimus, ut uidelicet eorū meritis exaudiamur, inueniamur, et saluemur: sed tantum, ut unā nobiscū fiducia unici mediatoris Christi pro nobis Deum inuocent. Cumq; inuocatio sit precipua pars cultus diuini, & honos soli DEO debitus, uero affectu cordis ad presidium & auxilium eius, quem inuocat

inuocat confugiens, perspicuum est, ne viuentes quidem à nobis inuocari, sed tantum peti, ut Deum unà nobiscum pro nobis inuocent.

Quòd si quis sanctos in cælo etiam differat non inuocandos, ut opitulatores & largitores bonorum, sed tantum compellandos esse, ut Deum pro nobis orent: primum *Maria* Psalterium uniuersum & plurima in Ecclesia Pontificia multis iam seculis usurpata preces Sanctorum, quæ ab ipsa Virgine *Maria* & cæteris sanctis certa bona & liberationes ex periculis sibi concedi & dari petunt: prorsus damnanda & abolenda erunt. Deinde respondeo, ut antea, Nullum de hac Inuocatione mortuorum, ut apud Deum pro nobis intercedant, in sacris literis mandatum, nullam promissionem, nullum exemplum verbi diuini extare.

Postea ut pios hoc tempore in Persia vel Ierosolymis absentes compellare in precando non debeo, cum eos exaudire meam petitionem, & desideria ac gemitus cordis mei videre & intelligere, (quod solius Dei proprium est,) non statnam: ita etiam si anima Sanctorum in cælo pro nobis in specie orarent: non tamen sequitur, nominatim eas à nobis compellandas esse.

esse. Nam compellatio rei inuisibilis & absentis, tribuit ei omnipotentiam, quod ubiq; adsit, & gemitus ac vota cordium introspiciat & exaudiat. Solus autem Deus corda hominum introspicit 2. Paral. 8. solus nostros gemitus cernit. Psal. 38. Abraham verò nescit nos, & Israel ignorat nos. Esa. 63. In summa, Omnis Inuocatio sine fide est inanis. Inuocatio hominum beatorum in cælo nullum verbi Dei testimonium habet, imò expresse, etiam Angelorum adoratio, verbo Dei prohibetur. Fit igitur sine fide nitente mandato & promissioni Dei. Sine fide autem impossibile est Deo placere.

Hunc statum disputationis, in controuersia, de Inuocatione & cultu sanctorum, breuiter monstrare hoc tempore volui, quo considerato, prestigia & sophismata, quibus glaucoram obijcere piorum oculis Posseuinus conatur, facile iudicari possunt.

Quòd si qui studio veritatis, has controuersias cognoscere integras cupiunt: extant scripta, qua vniuersa doctrina Ecclesiastica summas continent, & lectori non calumniosè iudicanti, satisfacere possunt.

Cum autem inter præcipuos & summos DEI cultus sit vera inuocatio & celebratio Dei, ad quam

N à Deo

à Deo conditi, & per filium redempti sumus, & Spiritu Gratia ac precum sanctificamur: & hic cultus propriè discernat Ecclesiam à ceteris gentibus, & precipuum sit in tantis vitæ ærumnis piorum presidium: imprimis veram & incorruptâ de hac virtute omnium summa & Christianorum propria doctrinam, in Ecclesia conservari necesse est. Quare si vitam & vires DEVS sufficiet, cum Posseninus & Mylonius denuò, piè & rectè tradita arrodere non cessabunt: non deerunt, qui totam hanc de vera unius solius veri Dei, per Christum unicum mediatorem invocatione: & de impia, Idolatrica, & planè Ethnica imaginum & Statuarum, ac hominum Sanctorum adoratione, Pontificia, doctrinam uberiore explicatione illustrent.

Nunc capita solummodò Imposturarum Possenini, quibus Orationem de statu Ecclesiarum Græciæ meam, impudenti ore & calamo impietatis accusare ausus est, retegere ac refutare volui. Nec dubito, omnibus eruditis & candidè iudicantibus, Sole meridiano clariùs patere, me non solum quod ad historiam attinget, vera, & certò ac exploratè cognita, & perspecta de Ecclesiis Græcis in Oratione illa recitasse, verum

rùm etiam inanes ac futiles sycophantias, ac verè imposturas esse, quibus hereseos & mendaciorum eam insimulare Possuinus & criminari conatus est.

Nunc ad Mylonij epistolam, Possuini imposturis prefixam, dignum tali patella operculum, & similes labris lactucas, venio. Ac de Haresibus varijs, quibus plures ex R. M. T. & Daniæ regnis, Rostochij, me, dum vixi, & literas humaniores docui, infecisse, initio queritur: satis hætenus tota superiore Apologia disceptatum esse arbitror.

De libro Augustanæ Confessionis autem, ad quem mox deflectit, in quo seriem deliberationum & Actorum de religione, quæ in comitijs anni 1530. Augusta, exhibitionem confessionis illius proximè præcesserunt & comitata sunt, bono studio collegi: cuius exemplum latinum, quod ad R. M. T. ante quadriennium misi: Mylonius, insigni audacia simul R. M. T. & pluribus etiam alijs Principibus à medicatum fuisse adfirmat: simplex & brevis mea defensio est. Si R. M. T., quæ in Germania ministros et amicos multis in locis habet, verè comperiet, Latinam illam Confessionis Augustanæ historiam, ad R. M. T. missam, ulli Regi aut principi alteri Nominatim

N ij dedi-

dedicatam esse, aut ulli homini, nisi in genere pio & candido lectori, à viro optimo & doctiss. Matthia Rittero primum inscriptam fuisse: tum me eiusmodi hominem, qualem Sycophantæ isti haberi volunt, esse existimet. Sin verò secus se rem habere, & plane commentitium esse quod obijcit, deprehendet: tum clementer me hac suspitione liberet, nec ceteris in accusationibus fidem illis, manifesta in vanitate deprehensis, habendam esse statuatur.

Subiungit Mylonius, edito libro de Confess. Aug. me purum Lutheri sectatorem videri voluisse, sed paulò post in Oratione de Ecclesiis Boëmiæ, Picardos laudantem, non Lutheranum, sed Picardicum & Calvinianum ostendisse. Ego verò, ut ab omnibus sectarum & hominum denominationibus alienus: ita Christi redemptoris pro me crucifixi solius nomine censeri, & Christianus esse ac perhiberi cupio.

Lutheri verò Confessionem, Christi doctrinæ congruentem, cuius in Augustana Confessione summa comprehensa est, tum de ceteris fidei nostræ articulis, tum de vera & substantiali corporis & sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ presentia, vero corde me amplecti: & sententiam, quæ cum lacte nutritricis,

triciſ, ex verbis institutionis Chriſti, & Lutheri Catechiſmo, mihi, à cariffimo Patre meo, Matthæo, pio et fideli Eccleſiæ miniſtro, inſtillata eſt: & in omnibus, in quibus à pueritia hucusq; vixi, ac vivo, Eccleſiis, publicè ſemper ſonuit: conſtanter retinere, ſemper profeſſus ſum: nec, ſi qui tanto interuallo, quanto altiffimi cœli à terris diſtant, Chriſtum à pane & vino & ore ſumentis Euchariftiam abeſſe contendunt, ſive Picardici, ſive Calviniani à vobis nominentur, unquam me hac in parte doctriinæ illis aſſentiri oſtendi.

Picardos verò, ut vocas, in tota ferè doctriina & ritibus, ad primæ ac Apoſtolicæ Eccleſiæ puritatem & ſimplicitatem, multò quàm Poſſeuinos & Mylonios, eorumq; manipulares, propiùs accedere, adhuc adfirmare non vereor, & ſanctos Patres ipſos, Apoſtolorum ætati proximòs, iudices appello.

Nec quemquam ſanæ mentis hominem, ad eò inſanum fore arbitror, qui Poſſeuino & Mylonio crediturus ſit, me, ſanctos Patres legentem, eosq; fœdis erroribus, quos docerem, patrocinari non videntem, de mente ac ratione deturbatum, clamàſſe, me damnatum eſſe, quòd fidei Catholicæ contraria docerem, ac, quæ nolebam, in Patribus expreſſa reperirem. Hic verò

N iij

ad

ad omnium piorum & doctorum, qui Patrum scripta legerunt, iudicia prouoco, an non omnes isti Religionis Papistica nerui, quos in hoc libello tuendos Possevinus suscepit, funditus concidant & evertantur, si ex sanctis Patribus Apostolorum etati vicinis, iudicium sumatur.

Dic, Possevine, an sancti illi Patres uspiam integri Sacramenti, seu utriusq; speciei Eucharistia usum laicis prohibuerunt. Cyprianus Calycem sanctificatum plebi ministrandum: Hieronymus sacerdotes Eucharistia seruire, & sanguinem populis eius diuidere: Augustinus sanguinem de Calyce in ora fidelium fundi. Chrysostomus, Nihil differre sacerdotem à Laico in usu mysteriorum ait. Non sicut in veteri lege partem quidem sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populum participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdes. Sed nunc non sic, verum omnibus unum corpus proponitur, & unum poculum. Quin & in precibus viderit quis populum multum simul offerre. Communes enim preces & à sacerdotibus & ab illis sunt. Imò Gelasius Pontifex, à Calyce sancti cruoris, non abstinere, sed aut integra Sacramenta percipere, aut ab integris arceri precepit,

Lib. 2.
Epist. 3.

Soph. 2.

Citatur
dist. 2.

Homil.
in 2.
Cor. 8.

Dist. 2.

cepit, Quia diuifio vnus eiusdēq; mysterij sine grandi sacrilegio prouenire non possit. Totum igitur dogma Pontificium & Synodi Constantiensis decretum de Calyce Laicis non ministrando, abolendum & damnandum vobis erit, si sanctorum Patrum Apostolicis temporibus vicinorum testimonia iudicij normam esse voletis. Quis ex Apostolis & primis illis Patribus, Cœnam Domini pro alijs, viuis et mortuis ex purgatorio liberandis, applicandam esse unquã somniauit?

Statuarum verò et imaginum sanctorumq; hominum defunctorum adorationes, an non prima Ecclesia prorsus vt ethnicam Idolomaniam est auersata? Epiphanius se cohorruisse scribit, cum in templo imaginem velo intexam videret. Quanto zelo Maria virginis adorationem et donaria ei à mulierculis quibusdã Syriacis oblata idem Epiphanius detestatur, & inter hæreses recenset? Deus Pater, inquit, & filius & Spiritus sanctus adoretur. **MARIAM** nemo **ADORET**. Prorsus igitur noua, & prima illi Apostolica & Patrum Ecclesia ignota dogmata sunt, hominum sanctorum & statuarum adoratio, Calycis Eucharistia prohibitio, Cœna Domini pro mortuis ex Purgatorio liberandis applicatio etc. quibus in hoc libello, contra
animi

animi sententiam patrocinaris, de quibus verè illud Hieronymi, non metuens ne eodem gladio feriar, usurpabo. Cur quadringentis post Apostolos annis docere nos niteris, quod antè Ecclesia nesciuit? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Usq; ad hunc diem (Epiphaniij, Hieronymi) sine ista doctrina (de invocatione sanctorum et Statuarum: venalibus Missis: prohibito Laicis usu Calycis: circumgestatione Sacramenti &c.) mundus Christianus fuit.

Cum igitur tot seculis à temporibus Apostolorum, Ecclesiam dogmatum istorum, à norma verbi divini prorsus dissidentium, ignaram fuisse Patres testentur: quanta impudentia sit commenti, quod de Patrum planè nobiscum in his articulis consentientium lectione mihi Possevinus et Mylonius affingunt: R. M. tua & alijs cordatis apparet, ac illustrius ex precedenti Responsione ad singulas Possevini, oppositas orationi de statu Ecclesiarum mea, reprehensiones, seu imposturas, ut ipse loquitur, apparebit.

Quid illustres consilij, quiq; sunt à secretis R. M. T. mihi tribuant, in manu mea situm non est. Certè ipse mihi quàm minimum sumo, ac ut Cælius ille Calcagninus opinor, publicatè à se bibliotheca inscripsit

scripsit, se diutino sexaginta annorum studio hoc didi-
cisse, Mortalia contemnere, & ignorantiam suam
non ignorare: ita meam quoque imprudentiam, insci-
tiam & infantiam, utcumque agnoscere didici, nec
quenquam nisi meipsum contemno. Theologum
me non esse fateor, sed tamen pietatis & doctrinae de
Deo vera studiosum profiteor.

GRAMMATICI verò titulum, quo Erasmus
& me Possevinus dignatur, longè superiorem & di-
gniore existimo, quàm ut eum mihi debeam arro-
gare. Facilius enim esse iudico, Doctoris in utroque lu-
re, & ceteris summis facultatibus, ut nominant, titu-
lum sibi comparare, quàm Grammaticum bonum ef-
se, seu sermonem Latinum & Græcum, in optimis au-
toribus, qui theologiam, Mathematica, historias, artem
medicam & reliquam philosophiam scriptis suis illu-
stratam nobis tradiderunt, rectè intelligere & alijs e-
narrare posse: quod Grammatici munus esse eruditi
norunt.


Sed his ineptiis relictis, finem presenti A-
pologiae tandem impono: & Filium DEI, fon-
tem & custodem veritatis & pacis in Ecclesia
salutaris, toto pectore precor, ut nos gubernet,
O doceat,

doceat, seruet ac sanctificet in veritate sua, quae est
 verbum ipsius, et semper Ecclesiam sibi aeternam inter
 nos colligat, & contumelias diuini nominis sui ac
 blasphemorum rabiem compescat, ut ipse cum aeterno
 patre & Spiritu sancto DEVS benedictus in
 secula verè à nobis agnoscat, inuocetur

& celebretur. Datum Rostochij,

Idibus Iulij,

ANNO M. D. LXXXIII.



DE VSV INTEGRI
SACRAMENTI, PHILIPPI
MELANTHONIS SCRIPTVM:

cuius in superiore libello mentio-
nem fecimus.



VIDAM VOCIFERANTVR NOS
de re non necessaria litigare, cum de
hac caremonia restituenda agimus,
Et queruntur frustra moueri certa-
mina Et disidia: Hi sciant nos hic
non de paruis rebus contendere, cum
de restitutione huius caremonia agimus, simul doce-
mus Ecclesias de vero vsu Sacramentorum, Et de ex-
ercenda fide: Item de ingentibus abusibus missa. Po-
stremo, illa Thesis hic continetur: An liceat homini-
bus mutare, seu abolere ritum à Christo institutum.
Ergo res magnas hic complectimur, dicimus de vsu Sa-
cramentorum, de horribilibus abusibus Missa, Et de
potestate Ecclesia. Nam hæ sunt causa, cur aduersarij
restitui integrum vsum Sacramenti nolint. Primum,
quia Pontificum et Episcoporum auctoritatem ampli-
ficant, his tribui volunt potestatem mutandi res insti-

O ij tutas

tutas diuinitus, condendi novos cultus, & noua dogmata. Vident item doctrinam veram de vsu Sacramentorum pugnare cum abusibus Missarum, hanc autem quoquo modo obruere conantur. Rogamus autem pios lectores, ut cogitent, quantum intersit Ecclesie, extare explicatam doctrinam de vero vsu & utilitate Sacramentorum, de veris exercitijs fidei, de potestate Ecclesie. Et assuescenda sunt pia mentes, ut verbo Dei, non humanis opinionibus regi fidem & opera curent, ut agentes cum Deo, nitantur certo verbo Dei, sicut inquit David: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

Accedamus igitur ad hanc causam.

VT Dominus noster Iesus Christus inquit: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, cupiens videlicet iam exhibere pignora sui amoris erga nos, & futurus victima pro nobis, ita nos ingenti desiderio accipiamus oblatum beneficium, & huius beneficij Sacramentum. Vt autem reuerenter utamur Sacramento, voce Christi obtemperemus, & discamus quomodo profit pijs mentibus Sacramentum. Hac augent veram reuerentiam.*

Sunt

Sunt autem nota verba Euangelij de institutione.
Et mandatum addit Christus: Hoc facite ad recor-
dationem mei. Iubet nos idem facere quod fecit ipse.
Ergo dato pane & vino in cœna Domini, exhibentur
corpus & sanguis Domini.

Sic autem prodest conscientijs, cum agentes pœ-
nitentiam credunt Christum factum esse hostiam pro
peccato, & accepto hoc pignore, fidem exuscitant, ac
credunt sibi propter Christum ignosci, credunt ad se
pertinere beneficia Christi, se consolantur, & agunt
gratias pro immenso beneficio Dei, idq; celebrant in
Confessione, quæ quidem in tota vita lucere debet.
Nam omnes actiones in vita, omnia certamina in
gubernatione Reipub. & familia, debent eò referri, ut
testentur nos rectè colere Deum, & agnoscere ac ac-
cipere beneficia per filium Dei exhibita. De hoc ex-
ercitio fidei in usu Sacramenti nihil dicunt Papistæ,
imò abusus Missarum prorsus obruit hanc doctri-
nam necessariam conscientijs. Sed de fine Sacramenti
dictum est in loco de Missa. Redeamus igitur ad
ipsam caremoniam, ac ostendamus usum integri Sa-
cramenti restituendum esse.

Cum Testamentum hominis nemo mutare debeat, multò minus testamentum Dei mutandum est, ut Paulus inquit ad Galatas. Cœna Domini est proprium novi testamenti Sacramentum, ut Christus inquit: Hic est calix novi testamenti: Ergo nemini licet aut licuit hanc ordinationem mutare, aut partem abolere.

Nil firmi contra hoc argumentum dici potest: Constat enim Christum sic instituisse ritum, ut utantur omnes pij, Sacerdotes & Laici, utraq; parte Sacramenti, quia textus de calice nominatim dicit: Bibite ex hoc omnes. Addita est uniuersalis, ut sciamus nullum membrum Ecclesie excludi. Et Paulus disertè dicit: A Domino accepi, quod tradidi vobis. Iussit autem totam Ecclesiam integro Sacramento uti, ut tota narratio testatur: Probet seipsum homo, ut sic de hoc pane edat, & de hoc poculo bibat. Nec dubium est hunc fuisse morem Græcæ & Latinæ Ecclesie multis seculis, et indicia multa sunt, vix ante quadringentos annos abolitum esse: Nec constat, quomodo aut qua autoritate vetus consuetudo mutata sit. Et tamen, cum sine certis auditoribus, contra expressum mandatum

tum

tum diuinum, & contra Ecclesia veteris morem recepta sit noua consuetudo, defenditur mira pertinacia, et crudelitate indignissima lenitate Ecclesiastica.

TESTIMONIA SANCTORUM PATRUM.

Cyprianus lib. j. Epist. ij. ubi de Laicis martyribus loquitur, inquit: Quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione Christi, sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini, iure communicationis admittimus? Et similes loci alij multi sunt apud Cyprianum, ut lib. ij. Epist. iij. ubi inquit: In calice Domini sanctificando, & plebi ministrando.

Hieronymus in Sophoniam cap. iij. Sacerdotes, qui Eucharistia seruiunt, & sanguinem populis eius diuidunt &c. Nam cetera quae sequuntur, nihil ad hanc rem pertinent.

In Tripartita historia lib. ix. dicitur ad Theodosium: Quomodo cruentis manibus accipies sanctum Domini corpus? Qua temeritate, ore tuo poculum

lum sanguinis preciosi percipies, cum tantum iniusti sanguinis fuderis?

In Decretis de consecratione, dist. 2. extat Canon Gelasij, qui prohibet diuisionem Sacramenti. Verba haec sunt:

Comperimus autem, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant, qui aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris abstineant, quia diuisio vnius eiusdem mysterij sine grandi sacrilegio nō potest accidere. Hic Canon diuisionem vocat sacrilegium. Eludunt autem hoc testimonium aduersarij vanissima cauillatione: Aiunt enim tantum pertinere ad consecrantes, non ad Laicos. Quod enim haec cauillatio sit commentitia, inde intelligi potest, quia tunc durabat mos vti integri Sacramento. Et cum hic ait: Arceantur, loquitur de Laicis, ut arcerentur per ministros porrigentes.

Extat & in quadam Toletana Synodo manifestum testimonium, quod ostendit Laicos tunc vsos esse integro Sacramento. Vidimus ipsi in libris Ecclesiarum Germania, scriptum veterem morem porrigendi annotatum, ubi clarè affirmatur, populo datum

datum esse integrum Sacramentum. Audimus & in Gallia testimonia similia reperiri. Et aiunt Regem Galliarum adhuc retinere veterem morem, hoc est, integro Sacramento uti. Citarem & Græcos autores, nisi omnes scirent, Græcas Ecclesias adhuc præbere integrum Sacramentum populo.

Cum igitur constet in Evangelio sic institutum esse hunc ritum, ut pariter Sacerdotes & Laici utantur integro Sacramento, cum manifestum sit hunc morem diu in tota Ecclesia retentum esse, satis adparet eos, qui prohibuerunt alteram partem Sacramenti, & prohibitionem defendunt, non rectè facere. Usitata est in veteribus Doctoribus sententia, Ecclesiam nec materiam nec formam Sacramentorum mutare posse. At hic palam est, materiam mutatam esse.

Suprà diximus ladi testamenti Christi sanctitatem, Nunc addam alteram rationem.

S E C V N D A R A T I O.

Q*ui* contra mandatum diuinum aliquid institunt, peccant, iuxta illud: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Porro, prohibentes alteram partem Sacramenti, haud dubiè pugnant cum mandato diuino: Sunt enim verba mandantis & dispen-

P . . . tis:

m iniusti

at Canon
Verba

apta tan-

ati cruo-

percipi-

nus eiu-

accidere.

Eludunt

cavilla-

crantes,

ommen-

mos v-

Arcean-

stros por-

do mani-

unc vfos

bris Ec-

rens por-

, populo

datum

tis: Accipite, bibite. Item probet seipsum homo, & sic de hoc pane edat, & de hoc calice bibat.

TERTIA RATIO.

PAulus iubet conseruari caremoniam vsq; ad gloriosum Christi aduentum, & iubet annunciari mortem Domini, hoc est, addi vult conciones de beneficijs Christi, vt recordatio, fides, & gratiarum actio accedant ad caremoniam. Hac sunt multipliciter mutata, quia populo datur tantum pars Sacramenti, cum Paulus de toto loquatur: *Quoties comedetis panem hunc, & bibetis ex hoc poculo. Hac est integri Sacramenti descriptio. Deinde qualis est doctrina aduersariorū? Magna ex parte caremonia sine vllis concionibus administratur, vt in Missis priuatis. Et populo semel in anno porrigitur Sacramentum. Ibi quantum doceri subito potest, etiamsi quid dicitur? Et doctrinam de beneficijs Christi, de exercenda fide, & de vsu Sacramentorum, multipliciter corrumpunt aduersarij. Cum autem dicat Paulus, Reos esse corporis & sanguinis Christi eos, qui abutuntur Sacramento, non dubium est, grauiter peccare autores & defensores tot ingentium abusuum huius Sacramenti. Prohibent*

hibent partem alteram, transformant Sacramentum populo debitum, in sacrificium ethnicum, offerunt pro alienis peccatis contra doctrinam de morte Christi, abolent veram doctrinam. An hos abusus existimant Deum non puniturum esse? Et si enim tempus non prescribit Christus, tamen hanc caeremoniam non frustra tradidit, vult eam in Ecclesia frequenter celebrari ab adultis. Et cum utimur, seruanda est forma instituta à Christo, Peccant igitur, qui discedunt ab ea forma.

Dictum est de causa, quantum opus est ijs qui anteferunt verbum Dei humanis opinionibus, & iudicant ab ordinatione diuina non esse discedendum humano iudicio. Sed quia cauillationes multae obijciuntur, ad has quoque breuiter respondendum est.

C O N F U T A T I O.

Quidam fatentur, in Euangelio integrum usum institutum esse, fatentur etiam in veteri Ecclesia fuisse morem quem diximus, sed aiunt mutari potuisse, quia sit res libera, uti integro Sacramento, vel parte.

Idem, inquiunt, iuris est de toto & parte. Libe-

P ij rum

rum est prorsus abstinere à Sacramento, Ergo liberum est & parte tantum uti.

Hic ad Minorem respondemus dupliciter, Primum, Etiam si esset liberum prorsus à Sacramento abstinere, tamen cum utimur, necesse est uti integro Sacramento, quia partes non sunt separabiles: Non enim licet mutare Testamentum diuinum. Valet autem regula forensis, ubi partes prorsus sunt separabiles.

Adijcienda est & altera responsio: Non est liberum abstinere à toto Sacramento, sed mandatum de usu pertinet ad adultos omnes, qui sunt membra cœtus Ecclesia. Vult Christus singulos adultos hac cerimonia aliquando uti, etiam si certum tempus non prescribit singulis. Oportet enim conseruari hanc cerimonia[m] usq[ue] ad finem mundi, sicut Paulus expresse inquit: Quoties comedetis panem hunc, & ex poculo hoc bibetis, mortem Domini annunciate donec veniet. Iubet & cerimonia conseruari, & addi cerimonia recordationem, & predicationem de morte Christi, usq[ue] ad gloriosum aduentum eius. Cur hoc dictum Pauli neglexerunt Pontifices, qui usum mutauerunt, qui doctrinam de fide, & de beneficijs Christi corruperunt, qui concio-
nes

nes omittunt, & populum ad partem Sacramenti adi-
gunt, nec docent de fructu? Paulus inquit reos corpo-
ris & sanguinis Domini esse illos, qui abutuntur Sa-
cramento. Quare non dubium est, grauius peccare au-
tores & defensores horum abusuum.

ALIA OBJECTION.

Euangelium concedit libertatem in ceremonijs, iux-
ta illud: Regnum Dei non venit cum obseruatio-
ne, Licet igitur & in hac ceremonia hanc libertatem
usurpare.

Hic homines callidi amplificant libertatem, &
exagitant nos, tanquam Judaica quadam pertinacia
ac superstitione simus duriores in defendenda ceremo-
nia: iubent anteferri tranquillitatem Ecclesie huic ex-
ternoritur, sicut scriptum est: Magis volo misericor-
diam quam sacrificium. Denique multa ab astutis in
hanc sententiam colligi possunt. Ad haec omnia respon-
demus breuiter.

Euangelium non concedit libertatem docendi con-
tra mandata Dei, aut abolendi, seu prohibendi ullam
partem mandati diuini, quod ad Ecclesiam pertinet.
Sed Euangelium maxime precipit conseruari mini-
sterium, quod consistit in doctrina & administratione

Sacramentorum. Si quis propter libertatem docere velit, omitti posse Baptismum, execrandus esset. Ita & in hoc casu prohibitio semper est impia, quia partem ministerij diuinitus ordinati abolet. Sed libertas Evangelica liberat pios à Leviticis caremonijs, & ab humanis traditionibus. Addam & illud: Concedit in casu impossibilitatis dispensationem credenti, ut si qui Martyres catechumeni interfecti sunt ante Baptismum, id non est abolere ministerium, sed adhibere dispensationem in peculiari casu. Vt, Macchabei non abolebant legem de Sabbato preliantes, sed in casu necessitatis dispensationem adhibebāt. At de Sacramento extat prohibitio perpetua, & defenditur magna atrocitate suppliciorum. Hoc non est libertatem Evangelicam tueri, sed opprimere potius, & simul delere ministerij partem.

ALIA OBJECTIO.

Ecclesia propter aliquam grauem causam mutare potest aliquid in ritu Sacramentorum, ut Apostoli mutarunt formam Baptismi, cum in Actis dicatur, Baptizetur unusquisq; in nomine Jesu Christi. Multa autem causa probabiles videntur concurrere, quare profit adimere unam partem Laicis, ut maior sit

fit reuerentia Sacramenti. Facile aliquid destillaret ex calice in terram. Item vinum acefcit, quare pars altera vino consecrata conseruari non posset. Item prodest exemplum ad docendam libertatem. Ideo sic ordinet Ecclesia, vt extet testimonium, quod libertas Evangelica concedat tantum vna parte vti. Deniq, multæ hic rationes colliguntur. Quare videtur Ecclesiam potuisse propter has causas aliquid mutare.

Negamus maiorem, Ecclesia propter nullam causam potest mutare mandata Dei, iuxta illud, Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. De Apostolorum exemplo respondeo, Textus nusquam dicit Apostolos hac forma usos esse, Ego baptizo te in nomine Christi, sed saepe repetita est hæc figura loquendi, baptizari in nomen Christi, quod de effectu intelligitur, pro eo, quod est, fieri Christi membrum. Vt Paulus inquit ad Rom. In Christum Iesum baptizati estis. Sed fingamus sanè Apostolos sic esse locutos, quid hoc ad prohibitionem? Num Apostoli alteram formam prohibuerunt? Magnum discrimen est Apostolorum & Episcoporum, sicut Prophetarum & Sacerdotum. Eliseus singulari vocatione, & excellenti impetu Spiritus sancti unxit novos Reges, ceteris hoc non licuit.

ere ve-
Ita &
partem
as Eu-
ab hu-
edit in
t si qui
Bapti-
bere di-
ei non
su ne-
amen-
na a-
Euan-
deletere
mutare
Aposto-
is dica-
Christi.
urrere,
maior
sit

licuit. Ita Apostoli vocatione & donis antecedunt: Sed tamen nec Apostolis licuit prohibere formam à Christo traditam. Quare etiamsi essent vsi alijs verbis in casu aliquo, tamen id exemplum nihil patrocinaretur perpetua prohibitioni, quæ est legis diuina abrogatio.

Refutata Maiore, venio ad pericula, quæ de calice recensentur. Paulus inquit, humanas traditiones habere speciem sapientiæ. Nulla tam leuis traditio est, quæ ab eloquentibus non possit egregijs fucis pingi. Reuerentia summa est, non discedere à verbo Dei, docere Ecclesiam, ne de voluntate Dei aliunde iudicet, quàm ex verbo Dei. Hæc est peculiaris sapientiæ Ecclesiæ. Hanc reuerentiam probat Deus. Illa diligentia, ne quid destillet, est pedagogia, quæ non multum ad rem principalem pertinet. Sacramentum est, id quod homini in Ecclesia porrigitur, non id quod rodunt mures, aut quod destillat: Nam Sacramenta sunt actiones ipsæ, directæ ad eum finem, ad quem institutæ sunt. Si metuumt ne vinum ace scat, cur non metuumt ne panis fiat muscidus? Melius est subito cum opus est consecrare. Ergò hæc fictitia pericula non excusant prohibitionem: Nec illud excusat, quòd negant ubique
vinum

vinum esse. Cur prohibent in ijs locis, ubi vinum haberi potest? Et Christus de poculo, non de vino nominatim loquitur, itaq; dicuntur gentes quaedam Ruthenica consecrare mulsum.

ALIA OBJECTIO.

Querunt aduersarij etiam exempla libertatis usurpata in hoc Sacramento. In Luca dicitur de fractione panis. Item in Actis dicitur de Apostolis: Frangentes panem passim circumeuntes per domos. Hæc loca videntur loqui de cœna Domini, quæ cum tantum faciant mentionem panis, satis est uti una parte.

Respondemus breuiter: In his locis non instituitur Sacramentum, nec satis constat an de Sacramento loquantur. Nam fractio panis Ebraica consuetudine significat generaliter conuiuium, sicut scriptum est apud Esaiam: Frange esurienti panem tuum, id est, impertias ei de panibus. Sed non reprehendimus communem persuasionem veterum, qui arbitrantur Christum ibi conuiuantem dedisse duobus illis viris Sacramentum corporis & sanguinis sui. Et credibile est, Apostolos passim in adibus amicorum concionatos & conuiuatos esse, & ibi distribuisse Sacramentum

Q

tum

tum pijs auditoribus. Adsentiamur igitur loqui textum de cena Domini. Est autem usitata Synecdoche, appellatione fractionis panis totum conuiuium significare: Complectitur ergo etiam potum. Hæc est simplex & vera responsio. Cæterum pugnent quantum volent aduersarij, tamen hæc testimonia non excusabunt prohibitionem. Non sequitur, Hic tantum fit mentio panis, Ergo licet Ecclesia prohibere partem sacramenti, contra expressum mandatum quod legitur in institutione. Hanc consequentiam iudicare non difficile est.

Citant & alia exempla ex historijs, ubi fit mentio gestati Sacramenti in calathis: Id intelligunt de solo pane. Sed Eusebius & Hieronymus ostendunt, utranq; partem solitam ad egrotos ferri. Nam Eusebius lib. 6. inquit. Parum Eucharistia puero qui ad se venerat dedit, quod infusum iussit seni præberi. Hic unius partis mentione totum Sacramentum complectitur. Et Hieronymus aliquantò clariùs dicit ad Exuperium: Nihil illo ditius, qui corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. Sic intelligendi sunt similes loci, ubi de gestatione fit mentio, nisi pars altera expressè excluderetur. Historia satis dilucidè ostendunt,

ostendunt, fuisse publicum & communem usum integri Sacramenti. Ideo obscura exempla eius et atis iuxta publicum ritum accipienda sunt. Et si qua essent contraria exempla, tamen prohibitionem non excusant.

ALIA OBJECTIO.

IN pane datur vinum corpus: Igitur sanguis simul datur. Quod cum ita sit, satis est accipere unam partem, quia de æquivalentibus non est controuersia mouenda: Vt cum Apostoli baptizantes in nomine Christi, volebant tamen nomine Filij, Iudeos de patre admonere, & nomine Messia, significare, quod daturus esset Spiritum Sanctum. Cur de appellationibus dimicaretur, cum rem ipsam satis declarent? Ita in hoc Sacramento, cur de externo poculo litigatur, si in pane corpus & sanguis exhibentur?

Hæc obiectio sumpta est ex vulgari dicto de concomitantia, ut vocant. Dixi autem antea, humanas traditiones habere speciem sapientiæ. Tot iam seculis quesita sunt excusationes noui moris: Ideo non mirum est multa vafre excogitata esse.

Respondemus igitur breuiter: propter has huma-

Q ij nas

nas cogitationes non violandum est mandatum Dei, vult enim Deus ministerium conseruari. Potest Deus sine aqua impartire Spiritum sanctum, sed tamen vult adhiberi externum signum. Deus innotescere vult per verbum suum, & signa ab ipso instituta, non vult nos noua signa instituere, vt Gentes, Papiſta, Monachi instituerunt noua signa, currebant ad certas statuas, ad has alligabant Deum ſua perſuaſione. Hanc impietatem ſapiffime taxant Propheta, Chriſtus, & Apoſtoli, & volunt nos Deum iuxta verbum & ſigna nobis ab ipſo tradita apprehendere. Ideo ministerium Deus in Ecclesia & instituit, & vult conseruari, nec permittit vt mutetur humano arbitrio. Quare & hic ita ſentiendum eſt: Voluit Deus diſtincta eſſe Symbola corporis & ſanguinis, vt fuſi ſanguinis recordatio celebretur. Ideo retineamus morem à Chriſto institutum, & ſciamus Chriſtum ad eſſe ſuo ministerio, & per id efficacem eſſe.

Nec nihil ſignificat hæc noua prohibitio calicis: Nam ſicut prohibuerunt Pontifices dari calicem populo, ita deleuerunt doctrinam veram de ſanguine Chriſti, abluente peccata hominum, de remiſſione peccatorum, & de fide. Hi debebant eſſe effectus diſtributi

tributi calicis. *Vt autem hi effectus deleti sunt, ita
 & caremonia mutata est.*

*Multa dici possunt de vulgari persuasione, de con-
 comitantia: Nam Sacramentalis coniunctio habet
 suum modum, positis symbolis adest Christus, & est
 efficax, quia ministerium sic ordinatum est diuinitus.
 Nec discedendum est à ministerij institutione propter
 humanas cogitationes.*

ALIA OBIECTIO.

*Vtile est discrimen inter Presbyteros & Laicos
 ostendi. Huius caremonia dissimilitudo facit di-
 scrimen: Ergo Ecclesia videtur probabili ratione hanc
 dissimilitudinem instituisse.*

*O singularem impudentiam. Scimus multos scri-
 ptores seriò hanc causam allegare in defendenda hac
 prohibitione: Vt amplificent dignitatem sacerdotum,
 dicunt his relinquendum esse integrum Sacramentum,
 Laicis vero tantum partem dandam. Sed hac temera-
 ria persuasio acriter reprehendenda & refutanda est.
 Est aliud discrimen inter Ministros & Laicos, quod
 hic integre explicari non potest. Minister porrigit Sa-
 cramentum, sed in vsu differentia nulla sit, pariter
 utantur integro Sacramento Minister & Laicus,
 Q iij pariter*

pariter se consolentur accepto hoc pignore, & fidem exerceant, pariter agant gratias. Repudientur errores de oblatione & applicatione pro alijs. Sed sacrificuli ut confirmant impios abusus de oblatione & applicatione, dissimilitudinem in usu caeremonia defendunt, ut pluris fiat sacerdotum opus, quam Laicorum communicatio. Hac fasa persuasione cum obruatur intellectus Sacramenti, necesse est reclamare. Postquam enim ceperunt sacrificuli discernere suum opus à Laicorum communicatione, secuta est horribilis idolatria privatarum Missarum, quam tolli ex Ecclesia necesse est.

ALIA OBJECTIO.

PRima Corinth. 11. dicitur: Qui comederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè &c. Hic usus est Paulus disiunctiva particula: In disiunctivis autem satis est alteram partem poni. Concedit igitur Paulus tantum una parte Sacramenti uti.

Pulcherrima virtus est amor veritatis, qui quidem excellere debet in his, qui Ecclesiasticas controuersias dijudicant, ut cognita veritate, finis aliquis sit sophismatum: Nam qui non amant veritatem, semper
ad

ad eam eludendam aliquas cauillationes reperient, cum
sophistica sit infinita. Sed agamus ingenuè.

Paulus ubi præcipit uti Sacramento, in his ipsis
verbis præcepti, particulam copulatiuam ter repetit:
Probet se ipsum homo, & sic de hoc pane edat, & de ca-
lice bibat. Hac sunt verba disponentis ac præipientis,
ut utraq; parte utantur. Laudo diligentiam in ex-
pendendis particulis, sed adhibeatur in iudicando inge-
nuitas & veritas. Videatur ubi Paulus usus sit copu-
latiuis aut disiunctiuis. In præcepto de utraq; parte
sumenda, est usus copulatiuis: Confirmat igitur usum
utriusq; partis. Deinde semel est usus particula disiun-
ctiua, loquens de pœna indignè sumentium, ut commi-
natio esset atrocior, & sciret auditor parem reuerenti-
am utriq; parti deberi. Contumelia afficiunt sacra-
mentum, qui sine emendatione morum accedunt:
item sacerdotes qui quæstus causa sumunt. Sed
multo maior est contumelia, non afferre veram pœ-
nitentiam, fidem, & doctrinam de usu sacramen-
torum. Est & hac contumelia, prohibere unam
partem. Hac contumelia cum peculiariter pertine-
at ad calicem, disiunctiua rectè conuenit, quia pars
una prohibetur, altera concessa. Proinde satis adparet,
hac

hac ipsa disiunctiua taxari aduersarios, & confirma-
ri nostram sententiam. Moueantur igitur hac gra-
uissima comminatione, & verè agnoscant se reos esse
corporis & sanguinis Christi, ac desinant tandem pol-
luere Sacramentum his abusibus, quos hætenus ma-
gna crudelitate defenderunt. Copulatiua precipit, ut
utraq; parte utamur. Disiunctiua deinde exaggerat
comminationem, modos plures recensens, quibus in hoc
genere delinquitur. Vtram partem contumelia adfe-
ceris, grauius offendes Deum. Sunt autem, ut dixi-
mus, multiplices & horrendi abusus huius Sacramen-
ti apud aduersarios.

Refutatis aduersariorum argumentis, satis liquidè
apparet, prohibitionem alterius partis impiam esse, &
restituendum esse integrum usum, iuxta mandatum
Christi, & morem multis seculis obseruatum in tota
Ecclesia veteri. Excogient, fingant, refingant que
volent argumenta aduersarij, tamen prohibitionem
defendere non poterunt. Si quis autem tantum
hanc adfert causam: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione
voluntas, is in Ecclesia sibi immoderatam potestatem
sumit: ubi conscientia habent regulam, que
docet, Deo magis obediendum esse, quàm hominibus.

Non

Non licet Pontificibus aut Principibus constituere religiones proprio iudicio contra mandatum Dei. Et tamen proni sunt animi gubernatorum ad hunc lapsum, ut exempla magnorum virorum omnibus ferè ætatibus ostendunt. Et alij mouentur superstitione, alij spe tranquillitatis publicæ, ut: Jeroboam ut alienaret populi animos à regno Iuda, instituit peculiare cultus in Samaria contra mandata Dei. Ita Pontifices instituerunt quæstuosos cultus, & reppererunt varias ceremonias utiles ad augendam pompam sacerdotum, & ad fascinandos animos populi qualicunq; specie religionis. Quare varijs erroribus Ecclesia polluta est, & multi perierunt, multorum conscientia miserabiliter sauciata sunt. Proinde pij gubernatores non sumant sibi potestatem, suo iudicio contra mandata Dei aliquid constituendi, sed Deo obtemperent, ornent gloriam Dei, consulant conscientijs piorum. Hæc sunt præcipua officia gubernantium Ecclesias, quibus spre- tis, si qui leges iniustas Ecclesie imponant, his minatur vox diuina inquit: Væ vobis, qui leges iniustas conditis. Tanti fecit Christus animas nostras, ut sua morte eas redemerit. Quantum igitur reprehenden- da est asperitas & duricies gubernantium, qui sauci-

R

ant


nfirma-
bac gra-
reos esse
dem pol-
us ma-
ipit, ut
aggerat
is in hoc
ia adfe-
ut dixi-
ramen-

liquide
n esse, &
ndatum
n in tota
gant que
bitionem
tantum
ratione
testatem
m, que
minibus.
Non

ant & perdunt animas suorum iniustis legibus? Quis hanc asperitatem non accuset? Quis hanc tristem Ecclesia servitutem non deploret? Orandus est igitur Deus, ut misera & afflicta Ecclesia opituletur, ut abusus ac errores emendet.

Ut autem tollatur huius Sacramenti abusus, complectenda est etiam emendatio totius doctrinae, restituenda est vera doctrina de poenitentia, de remissione peccatorum, de fide, & de exercitijs fidei in usu Sacramentorum. Est & Missa reuocanda ad primam institutionem.

Hac pio & simplici animo monemus, nec dubitamus, nos causam piam & Ecclesia necessariam agere, ac precamur Deum, ut mentes Principum flectat ad illustrandam gloriam Domini nostri Iesu Christi, & ad salutem Ecclesiarum.



Τῷ Θεῷ δόξα.

DE CONIVGIO
SACERDOTVM, PHILIP.
MELANTHON.



ULTI PRINCIPES VIRI PALAM fatentur defendi cœlibatum, nec religione, nec superstitione aliqua, sed tantum quia commodior est ad potentiam & splendorem sacerdotum retinendum. Satis enim constat, concesso coniugio, oportere & numerum & pompam diminui, ut Græcorum sacerdotes nec tantas opes, nec imperia adepti sunt. Turba etiam tanta in singulis Ecclesijs, præterquam ubi schola erant, non fuit. Nolunt autem Episcopi & alij ambitiosi sacerdotes, aliquid de dignitate, aut de splendore detrabi.

Accedit huc, quod Regum & Principum aulae sunt ornatiores & frequentiores satellitio Episcoporum & Canonicorum, qui comitantur aulas sine Regum sumptu. Et hic cœtus magno usui est Regibus. Hinc sumuntur Iudicum decuria, hinc deliguntur homines expediti ad Legationes, ad multa et varia Regum negocia.

R ij Deinde

is? Quis
tem Ec-
Et igitur
ur, ut ab-

abusus,
rina, re-
remissio-
ei in usu
ad pri-

nec dubi-
am age-
ipsum
i-

Deinde Reges etiam adfectibus nobilitatis seruiunt, quæ est inimicissima coniugio sacerdotum, propterea quòd ipsi nunc passim opulentis collegijs fruuntur. Et multa familia dignitate & opibus augentur in hoc statu Ecclesiasticorum procerum. Amitteret autem nobilitas plerasque harum commoditatum, ut facile potest iudicari, si concederetur coniugium sacerdotibus, quod cogeret aliquid de luxu & de splendore diminui. Ideo cœlibatum ambitiosi Canonici, Nobilitas, & Reges ipsi, tanto consensu, tantis studijs defendunt.

Est etiam multitudini Canoniorum grata licentia vulgò impune scortandi.

Propter has causas hæret in Ecclesia ingens turpitudine, quæ dedecorat totum nomen Christianum. Boni agnoscunt quantum sit onus cœlibatus, & tolli cuperent, & hi sunt paucissimi: Reliqua infinita multitudo quàm inquinatè viuit? Quàm nepharia flagitia cernuntur Romæ & alibi? Qualis est species collegiorum, in quibus sunt magna agmina scortorum et adulterarum? Hæc rident Epicuræi Pontifices ac Principes, et nos putant esse agrestes ac stolidos, qui has delicias

licias arbitramur reprehendēdas esse. Si iudicarent esse Deum, & verè irasci libidinibus, easq; punire, facilius persuaderi possent, ut iniustas & tyrannicas leges abolerent, quæ sunt fontes tantorum scelerum, quibus Ecclesia polluitur. Sed dolendum est adeo prophanas mentes esse multorum, ut libidines rideant, deinde defendant legem de cœlibatu propter opes, & tamen falsò prætexant religionem & nomen Dei. Hanc contumeliam nominis sui profecto Deus puniet, ut dicit: Non erit impunitus, qui nomine Dei abusus fuerit.

Hæc præfari volui: quid enim opus est in causa perspicua disputatione vlla? Omnes enim honesti & mediocriter periti doctrina Christiana & historiarum, norunt hanc Pontificiam legem de cœlibatu pugnare cum iure naturali & diuino, & veteris Ecclesie consuetudine. Et Paulatim plus accessit tyrannidis. Circa tempora Gregorij qui ducebant uxores in Latina Ecclesia, tantum à ministerijs remouebantur: Postea ex acerbatâ lege, prorsus ademptum est coniugium sacerdotibus: Nunc interficiuntur qui ducunt uxores, cum in Ecclesiastica gubernatione in primis lenitas adhibenda sit.

R iij

Etsi

Etsi autem hac causa adeo perspicua est, ut non habeat opus longa disputatione, tamen colligam testimonia iuris diuini, quae docent sacerdotibus non prohibendum esse coniugium, eamque prohibitionem impiam & iniustam esse, & rectè facere pios sacerdotes, qui ducunt uxores, ac pertinere ad officium Principum, abolere prohibitionem illam iniustam & tyrannicam.

C O N I U G I U M.

V*ocamus autem coniugium, legitimam & perpetuam coniunctionem unius viri, & unius tantum foemina diuinitus institutam, generationis causa, & ordinatam ad vitandas libidines prohibitas, iuxta dictum illud: Erunt duo in carne una, videlicet, ut in ea uocatione Deo conditori morem gerant, obtemperent eius ordinationi, vitent ne polluantur contra eam ordinationem, vir non despiciat sexum foemineum, sed honore adficiat, & sciat sibi quisque suam coniugem, tanquam partem generis humani, tuendam, iuuandam, & amandam esse, procreent liberos, eisque tradant veram Dei noticiam, ut agnitio Dei propagetur, & in terris conseruetur. Hi sunt enim precipui fines coniugij, de quibus saepe concionatur doctrina caelestis. Accedunt & alij fines, coniugia colenda esse,*

da esse, ut inuenimus communem societatem hominum, ut ciues gignamus atq; educemus vsui futuros patriæ. Hi fines Philosophis et Legumlatoribus noti fuerunt. Sed Plato etiã de priore fine loquitur, inquiens, Ideo coniugio utendum esse, quia cum homines ex hac societate morientes discedant, debeat unusquisq; pro se alios Deo cultores in hoc cœtu relinquere. Hæc vox dignissima est memoria piorum: Nam hic præcipuus finis coniugij esse debet. Propter hunc finem expetebant liberos Abraham, Isaac, & multi veteres Episcopi, ut relinquerent fidos custodes doctrinae cœlestis.

PRIMA RATIO.

QVOD Sacerdotibus liceat habere coniuges, apertè testatur Paulus ad Timotheum & ad Titum: Oportet Episcopum unius uxoris maritum esse. Hæc sententia sine ulla dubitatione testatur, non pugnare coniugium cum ordine, sed licere eligi sacerdotem maritum. Repudianda est igitur illorum amentia, qui vociferantur coniugium cum natura ordinis pugnare. Tota Græca Ecclesia vsque ad hunc diem testatur, Sacerdotes posse maritos esse, posse habere uxores, vel ante ordinationem, vel postea ductas, ut infra copiosius ostendemus. Nunc illud
tan-

tantum agimus, ut ostendamus sacerdotes posse esse maritos: quod dicimus ad refutandum errorem illorum, qui contenderunt coniugium cum ordine pugnare. Nec levis est hic error, ac multa deliramenta complectitur, fingit coniugium esse rem immundam, hoc est, vitæ genus vitiosum, quod aut non adprobet Deus, aut certè in aliquo piorum hominum gradu non approbet. Huic superstitioni necesse est reclamare, quæ quidem damnata est etiam in Synodo Gangrensi, in qua sunt utilia & pia decreta contra Marcionis sectam facta, in quibus & hoc est: Si quis discernit Presbyterum coniugatum, quasi propter nuptias offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo abstinere, anathema sit. Etsi autem quarunt aduersarij cavillationes ad hoc decretum eludendum, tamen certum est, hanc esse sententiam, Coniugium presbyteri nihil differre à coniugio aliorum, & id vitæ genus Deo placere. Cum igitur certum sit, ex testimonijs scripturæ & veteris Ecclesiæ, ordinem non pugnare cum coniugio, sententiæ generales dictæ de omnibus viris, etiam ad sacerdotes pertinebunt. Accedent igitur reliqua testimonia.

SECUNDVM TESTIMONIUM.

Vitanda

Vitanda scortationis causa, unusquisq³ uxorem su-
 am habeat. Hac sententia precipit omnibus uti
 coniugio, qui non sunt ad cœlibatum idonei, ac sine
 ulla dubitatione pertinet non ad solos Laicos, sed et-
 iam ad sacerdotes. Est enim uniuersale mandatum:
 Unusquisq³ uxorem habeat vitanda scortationis cau-
 sa. Nec ulli ab hoc mandato sunt excepti, præter illos
 quos Deus excipit, videlicet, qui aut natura sunt e-
 masculati, aut præditi singulari dono, ut purè etiam
 sine coniuge viuere possint: tantùm hi sunt excepti à
 regula, de cæteris omnibus valet dictum Christi: Non
 omnes capiunt hunc sermonem. Natura enim homi-
 num ita condita est, ut sit fœcunda, sicut in Gene-
 si scriptum est: *Maſculum & fœminam creauit eos,*
 id est, indidit utriq³ sexui mutuam coniunctionis ap-
 petitionem, quæ quidem in natura integra fuisset sine
 vitio. Nunc non est sublata naturalis inclinatio, sed
 vagatur sine ordine, eoq³ magis opus est coniugio, ut
 coherceatur, sicut omnes doctores scribunt, coniugio
 post lapsum primorum parentum non tantùm procre-
 ationis causa utendum esse, sed etiam ut sit remedi-
 um errantium appetitionum. Manet inclinatio ad
 sexum, quæ est *σοφὴ φύσιν* à Deo indita natura homi-
 num,

S

num,

Vitanda



num, sed nunc sine ordine vagatur. Cum igitur eo magis opus sit coniugio, dixit Paulus: Vitanda scortationis causa, unusquisque uxorem suam habeat. Nec leuem sententiam putemus adiectam esse ad preceptum in Genesi, ubi de benedictione, de procreatione dicitur. Hic additur doctrina de remedio, ut magis intelligatur necessarium esse coniugium. Quid contra hac dici potest? An obscurum est, qualis sit natura hominum, quanta infirmitas, quam pauci prae diti sunt dono continentiae? Quam multa leguntur & audiuntur querela bonorum, qui cum conati sint pure in caelibatu vivere, tamen senserunt se id nequaquam assequi posse. Repugnant enim duae res maxime: Primum, ipsa natura inclinatio, deinde, infirmitas quae accessit. Sed reclamant aduersarij, & domari naturam iubent inedia, laboribus, & alijs vexationibus, ut extinguantur libidinum incendia. Cur ipsi non domant? Multi boni fatentur, se infeliciter hoc conatos esse. Non enim sine graui causa dictum est à Paulo: Melius est nubere, quam vri. Nisi adsit singulare donum naturae corporum, etiamsi inedia aut laboribus duriter vexentur, tamen, ut ita dicam, interdum exundant. Hæc Paulus docet vitanda esse.

T E R-

Stabilire doctrinas demoniorum est impietas. Prohibitio coniugij est doctrina demoniorum: Ergo stabilire ac defendere eam, est impietas. Paulus enim in priore ad Timotheum aperte vocat prohibitionem coniugij doctrinam demoniorum. Nec leue malum significat Paulus, cum nominat doctrinas demoniorum. Hæ fanaticæ prohibitiones multa ingentia mala pariunt, ut res ostendit. Infinita multitudo contaminata libidinibus, ruit in æternum exitium, propterea quia non licuit uti coniugio. Et ocium ac opes auxerunt luxum, qui multa vitia complectitur, ambitionem, ingluviem, & libidines. Non stupris, non adulterijs contenti sunt Pontifices, Cardinales, & Monachi, sed accedunt teterrima flagitia, propter quæ Deus sæpe totas urbes subito deleuit, ut Sodoma, Sybarin, Athenas, Spartam, Thebas, Romam & alias multas. Nunc prohibitio coniugij non tantum hæc vicia parit, luxum, libidines omnis generis, sed etiam crudelissima parricidia. Nam propter hanc legem pij interficiuntur, qui ducunt uxores. Tanta seges malorum cum ex una lege oriatur, satis apparet, Paulum non exiguam rem significasse, cum nominat doctrinas demoniorum.

S ij

Atq;

Atq; hæc prohibitio statim post Apostolica tempora concutere Ecclesias cœpit. Montanus & Marcion, ut se venditarent simulatione maioris puritatis, prohibuerunt ac damnarunt coniugium. Ac narrat horum Epiphanius horrenda flagitia, deq; ipso dogmatis autore Marcione scribit, eum exceptum hospitio à quodam Diacono in Cyprio, abduxisse ab hospite uxorem ipsius, deceptam specie nouæ religionis. Sed cum abductam stuprasset Marcion, misera mulier aliquanto post ad maritum redijt, deplorans suum erratum, & veniam petiuit. Hanc mulierem ait multis postea monitricem fuisse, ne amplecterentur Marcionis dogmata, cum narraret, alias multas mulieres in eo sodalities, etsi simulabant continentiam, tamen promiscuè obnoxias esse libidini fanaticorum Doctorum. Hæc fuerunt initia legis de cœlibatu. Postea secuti sunt ἐννεγκται. Ab horum exemplo Monachi orti sunt: Et ne viderentur inferiores Sacerdotes istis, cœperunt hi quoq; partem superstitionis imitari. In Synodo Nicæna quidam voluerunt decretum fieri, ut hi qui habebant uxores, electi ad munus Ecclesiasticum, postea consuetudine uxorum abstinerent. Quamquam autem tunc repudiata est hæc impietas, tamen aliquanto post

to post hæc tyrannis peruasit in Ecclesias in Occidente, ut postea dicam. Hæcerant semina tyrannidis Antichristi, cuius & hanc legem propriam fore prædixit Daniel, qui ait : illum impium Regem Dominaturum in Ecclesia, nec Deum, nec mulieres curaturum, sed fædis & incestis libidinibus contaminaturum esse Ecclesiam. Quid hoc aliud est, quàm digito monstrare Romanos Pontifices? Horum tantorum scelerum, quæ significant Paulus & Daniel, societate contaminantur, qui defendunt legem de cœlibatu, stabilunt doctrinas demoniorum, adprobant regnum Antichristi, confirmant fædas libidines, & multas alias pestes. Ideo pietas est, non defendere, non adprobare, sed prorsus illam perniciosam legem abolere, & reddere Ecclesijs pium usum coniugij diuinitus institutum.

QUARTVM ARGVMENTVM.

Hætenus recensui testimonia ex scripturis, nunc adiiciam exempla primæ et purioris Ecclesiæ. Nihil dubium est, Apostolorum tempore & diu post, in Græca et Latina Ecclesia fuisse Sacerdotes maritos. Apud Eusebiũ lib. 5. Ecclesiasticæ historiæ fit mentio Polycratis Episcopi Ephesij, qui ait se ortum ab Episco-

S iij pis,

cap. 24

tempora
Marcion,
tatis, pro-
arrat ho-
dogmatis
ospitio a
ite uxo-
Sed cum
ulier ali-
um erra-
t multis
Marcio-
ulieres in
men pro-
ctorum.
uti sunt
sunt: Et
erunt hi
o Nice-
ui habe-
s, postea
am au-
aliquan-
to post

olij. eña pis, hæc enim sunt verba: Sed & ego omnium vestrum
 minimus Polycrates, traditionem parentum meorum
 obseruo, septem namq; ex parentibus meis per ordinem
 fuerunt Episcopi, ego octauus, qui omnes ita obscura-
 uerunt hunc diem. Habuit & latina Ecclesia mari-
 tos Sacerdotes longo tempore, ut Syricij historia testa-
 tur, qui primus diuellere coniugia Sacerdotum in Hi-
 spania conatus est, etsi Sacerdotes Hispani parere de-
 creto Syricij recusarunt, & patronum habuerunt sua
 causa Episcopum Tarraconensem, qui respondens
 Romano Episcopo, citat dicta Euangelij, quæ vetant
 dissolui connubia. Sed rescripsit Syricius adeo arro-
 ganter ac stolidè, ut mirum sit tantam tunc in Eccle-
 sia inscitiam, audaciam, impietatem, & tyrannidem
 fuisse. Vituperat honestos maritos, & contumeliosè
 vocat libidinum defensores. Insulse detorquet & di-
 ctum Pauli contra coniugium: Si secundum carnem
 vixeritis, moriemini. Si tanta erat inscitia, ut arbi-
 traretur hoc dicto vituperari coniugium, multò digni-
 or fuit Syricius, qui remos in nauis agitaret, quàm qui
 ad gubernaculum in Ecclesia Christi sederet. Sed si sci-
 ens ita lusit, impudentia multò magis fuit digna odio,
 quàm inscitia. *Vi*uere secundum carnem, est ruere
 contra

contra mandata Dei, non significat uti coniugio, cibo, potu, iuxta mandata Dei. Postea Gregorius sacerdotum coniugia distraxit in Sicilia, ac paulatim vetus consuetudo abolita est. In Germania serò, etiam reclamante Episcopo Augustano, ut apparet, graui viro Ulrico, impositum est onus cœlibatus nostris Sacerdotibus. Deinde Moguntia cum decretum Hildebrandi teterrimi monstri proponeretur de cœlibatu, tanto tumultu repudiatum est iniustum & turpe editum, ut penè manus iniecta fuerint Episcopo Moguntino & Curienti, qui legatus erat Hildebrandi, etsi Moguntinus fuit æquior, qui promisit se daturum operam, ut Hildebrandum de sententia deduceret. Multa alia testimonia extant, quæ ostendunt admodum recentem esse hanc legem de cœlibatu, quæ nunc ab aduersarijs plusquam Neroniana crudelitate defenditur. Quanquam autem res nota sit, tamen hæc recensui, ut ipsa exempla commonefaciant lectores, coniugium non pugnare cum ordine, ut aliqui somniant, & nos non esse autores noui exempli in Ecclesia, sed veterem & piam consuetudinem reuocare.

QVINTVM ARGVMENTVM.

Natu-

vestrum
meorum
ordinem
obscura
ia mari
ria testa
n in Hi
arere de
runt sua
bondens
vetant
eo arro
Eccle
nnidem
meliose
t & di
carnem
ut arbi
ò digni
am qui
ed si sci
ra odio,
Et ruere
contra

Naturalia verè sunt immutabilia, nec prohiberi legibus humanis possunt, ut appetitio & usus cibi ac potus. Appetitio maris ad feminam est iuris naturalis. Ergo non est humanis legibus prohibenda.

Minorem ostendunt dicta in Genesi. Creavit Deus masculum & feminam. Quibus videlicet indidit mutuam coniunctionis appetitionem, quæ, ut suprà dixi, in natura integra etiam fuisset, & fuisset ordinata. Nunc inclinatio illa non sublata est, sed, ut dixi, vagatur sine ordine, ideo magis opus est coniugio. Pugnant igitur cum natura, qui prohibent legitimam coniunctionem maris & femina, ut si prohiberent honorem præstari parentibus, aut alia, quæ diuinitus ordinata sunt in hominum natura. Neq; enim excepti sunt ab hoc iure natura ulli, præter eos quos Deus excepit, iuxta dictum Christi, videlicet, qui aut natura eunuchi sunt, aut habent singulare donum. Testatur autem Christus id donum non contingere multis, ut euentus ostendit. Et iudicare quisq; facile potest, quid velit Paulus inquisens: Melius est nubere, quam vri. Cum igitur ius diuinum & naturale præcipiant uti coniugio omnibus, qui non sunt ad cœlibatum idonei, & consuetudo prima Ecclesia testetur,

stetur, Sacerdotes fuisse maritos, satis liquet, legem de
 cœlibatu iniustam & abolendam esse, & sacerdotes,
 qui ducunt uxores, rectè & piè facere. Sed quia hanc
 verissimam sententiam quidam ineptis cauillationi-
 bus labefactare conantur, has breuiter diluemus.

CONFUTATIO.

PRæcipua cauillatio est de voto. Etsi propter opes et
 splendorem sacerdotum defenditur cœlibatus, ta-
 men votum prætextitur. Multi fatentur, Sacerdo-
 tes, si voto non impedirentur, posse uxores ducere, Sed
 quia votum accessit, arcent eos à coniugio. Sed hæc
 obiectio multis firmissimis causis refutari potest. Ac
 priusquam ad refutationem accedo, hoc postulo ab i-
 stis, qui votum allegant: Si tantum voto impeditur
 coniugium, cur non abolent Episcopi morem vouendi,
 cum videant inde tantum oriri scelerum? cum vide-
 ant Ecclesiam adeo deformatam esse spurcissimis mo-
 ribus plurimorum? Nec dubium est, singulos Episco-
 pos hanc vouendi consuetudinem in sua diocesi &
 posse & debere abrogare. Deinde, hæc tota consuetu-
 do vouendi prorsus dissentit à natura voti, & plena
 est ambiguitatum: Vt Hypocrisis est flexiloqua &
 ambages

ambages habet plurimas. Primum, etiamsi vouent, tamen omnes qui accedunt ad hunc gradum, mallent non vouere, dolent vitæ genus oneratum esse hac seruitute. Porro, non est votum, quod non est voluntarium. Temporibus hæc recepta sunt, & confirmata exemplis multorum & potentum. Hæc reliquum vulgus, ut solet fieri, imitatur. Sed res ipsa dissentit à natura voti. Omnes enim sani mallent sibi concedi coniugium. Sed videamus ambigua. Scio diuersis modis proponi obligationem. Alij dicunt hæc verba: Promitto castitatem, quatenus humana fragilitas permittit. Hi certè non promittunt se non vsuros esse coniugio. Nam conditio non concedit scortationem. Alij dicunt hæc verba: Promitto me obtemperaturum esse Canonibus. Et hæc est forma verborum in vetustioribus Ecclesijs. Vide autem Lector, quæ hic sit ambiguitas. Canones diuersi sunt, Veteres non prorsus adimebant coniugium Pastoribus Ecclesiarum aut Diaconis, sed si quis ducebat uxorem, remouebant à ministerio, Hæc missio tunc beneficij loco esse poterat, cum non erat ocium sacerdotibus, quale nunc est in collegijs, sed pastores in acie stabant, & maximis periculis gubernationis & confessionis exercebantur. Postea

Cano-

Canones tyrannici conditi sunt, sine autoritate Synodorum, loquentes de perpetuo cœlibatu. Sed quoquo modo hæc verba accipiuntur: Promitto obedientiam Canonibus, constat erudita & vera interpretatione, tantum lege, non voto prohiberi coniugium, sicut lege adiguntur ad alias multas ceremonias in Canonibus traditas. Est quæ nota sententia talium promissionum, cum pollicemur nos legibus obtemperaturos esse. Obligamus enim nos ad pœnam subeundam. At nulli Canones pœnam capitalem irrogant: Imò crudelitas est indignissima Ecclesia, afficere capitali supplicio hominem propter coniugium. Sed omitto has tennes excusationes, quæ etiamsi valent, tamen conscientia flagitant grauiorem & firmiorem doctrinam.

Exaggerent igitur votum quantum volent, tamen opponenda est hæc sententia, quæ labefactari nullo modo potest. Omnia impia vota, & facta contra mandata Dei, sunt irrita. Votum cœlibatus est impium, & factum contra mandatum Dei, Quare est irritum?

Hæc ratio nulla cauillatione eludi potest, & verè liberat pias mentes superstitione huius voti. Constat enim vota facta contra mandata Dei, irrita esse.

T ij

esse.

uouent,
mallerit
ac servi-
luntari-
nata ex-
um vul-
tit à na-
edi con-
is modis
: Pro-
as per-
esse con-
n. Alij
rum esse
tustiori-
mbigui-
adime-
Diaco-
à mini-
t, cum
in colle-
s pericu-
Postea
Cano-

esse. Non enim colitur Deus ijs factis qua prohibet, ut inquit Psalmus: Non Deus volens impietatem tu es. Quoties clamitant Canones, In promissis, qua sine peccato prestari non possunt, pacta rescindenda esse? Pugnat autem hoc votum cum mandatis diuinis, & iure natura, ut supra dictum est. Deus precipit his, qui non sunt idonei ad cœlibatum, ut coniugio utantur, idem sancit ius natura. Non potest autem voto tolli aut lex diuina, aut ius natura, ut si quis promittat se non affecturum honore parentes.

Est & alia causa, cur hoc votum sit impium, qua est quidem firmissima, sed rudes doctrina Christiana non satis eam intelligunt. Superstitiosi cultus non placent Deo, iuxta illud: Frustra colunt mandatis hominum. Item: Non volens impietatem Deus tu es. Hoc votum est superstitiosus cultus, & multos errores complectitur: Ideo non placet Deo. Nam tota res ex superstitione orta est illorum, qui non intelligebant iusticiam fidei, nec norant hæc œconomica & politica officia consecrata verbo Dei, esse bona opera & Deo placentia, in quibus Deus vult nos iuxta verbum suum seruire, exercere fidem, & dilectionem, nec excogitare novos cultus, quos ipse nobis
non

non proposuit. Fingunt igitur cœlibatum esse opus excellens, propter quod Deus fiat placatior hominibus, Arcent coniuges à Deo, tanquam immundos, hoc est, non placentes Deo, aut certè implicitos vitæ generi multò periculosiori, quod vix possit placere Deo, sicut constat, multos de coniugalibus officijs dubitasse, an Deo placeant. Hæ superstitione opinionones non exiguas tenebras induxerunt doctrinæ de iusticia fidei, & de veris Dei cultibus. Constat autem ex ipsis Canonibus vota hoc errore flagitari & predicari. Canon, Proposui. dist. 82. disertè allegat hanc causam: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Quod dicemus esse falsi crimen, si hoc non est? Flagitiosè enim detorquet Papa dictum Pauli ad prohibitionem coniugij, cum longe aliud velit Paulus: Hic ludus nequaquam in Ecclesia tolerandus est. Ac mirū est tot seculis homines doctos, qui Canones legerunt, tulisse has coniugij contumelias. Alius Canon, Decernimus, allegat causam prohibiti coniugij, quia non deceat sacerdotes servire cubilibus & immundicijs. Hæ impiè dicta reprehendi in Ecclesia necesse est, & hac persuasione facta vota haud dubiè sunt irrita. Coniugium enim est mundicia, hoc est genus vitæ Deo placens, sicut testa-

T iij tur

tur Paulus, inquiens: Saluatur mulier per filiorum generationem. Laudat officium coniugale. Nam vericulus Dei sunt opera, quae ab ipso nobis praecepta sunt, quae sunt praevalente ipsius verbo. Hac doctrina in Ecclesia multis de causis necessaria est. Cum enim cultus excogitamus nostro arbitrio, disceditur à verbo Dei, vera noticia Dei amittitur, ac firma consolatio in veris agonibus excutitur. Ubiq; igitur damnant Propheta ^{ἡ δολοθησικίας}, reuocant nos ad opera praecepta diuinitus. In his luceat fides, quae petat gubernari pericula, exitus: In his exercentur dilectio & cetera virtutes. Porro, ut mundicies verè significat hanc obedientiam Deo placentem, ut dixi, ita immunda opera sunt, non solum scortationes, sed etiam omnes superstitiosi cultus non mandati à Deo. Quare coniugalia officia verè sunt mundicies, ut rectè dixit Paphnustus, castitatem esse consuetudinem coniugalem. Contra verò cœlibatus non eò tantum est immundicies, quia paucissimi sine turpitudine sunt cœlibes, sed etiam ob hanc causam, quia est superstitiosus cultus.

Cur igitur laudat Paulus ad Corinthios virginitatem? Laudat in his qui sunt idonei, & qui propter

pter hunc finem id vitæ genus amplectuntur, ut expeditiores sint ad docendum, ad seruiendum Ecclesijs: Non sic laudat, quòd id opus magis gratiam mereri iudicet. Hunc errorem pugnantem cum iusticia fidei maximè execratur. Non negamus differre genera vitæ: Antecellit gubernator ciuitatis nauta, sed non magis meretur gratiam gubernatio ciuitatis, quàm ars nautica. Et fieri potest, ut nauta veriùs colat Deum, quàm gubernator ciuitatis. Non igitur differunt hi gradus, quod ad vitam spiritualem, seu quod ad gratiam attinet, etsi inter sese collati in vita externa alij alijs antecellunt, vult enim Deus esse ordinem functionum.

Hactenus de voto dixi, quantum in hoc loco opus est, quod valde exaggerant quidam, non quòd sic sentiant, sed ut qualicunq; pretextu retineant morem ipsis utilem. Reuera lege humana, non voto prohibetur coniugium. Et ut accederet votum, certissimum est, vota irrita esse, quæ fiunt contra mandata Dei, quæ sine peccato non possunt prestari. Cur ad hanc excusationem grauissimam & verissimam, surdas aures habent isti asperi atq; immites cælibatus defensores, cum palam videant, quantum scelerum oriatur ex hac coniugij prohibitione? Si arbitrantur Deum offendi

filiorum
Nam ve-
præcepta
doctrina
um enim
r à verbo
consolatio
damnant
præcepta
rari pe-
& cetera
hanc o-
nda ope-
nes super-
coniugalia
aphnisti-
m. Econ-
undicies,
s, sed et-
iosus cul-
hios vir-
qui pro-
pter

libidinibus, cur non iubent Episcopos abolere votum? cur laqueum scientes iniiciunt his, qui ad Ecclesiasticas functiones adhibentur?

Nec peto in hac causa aliud, nisi ut iudex animum adferat aequum, cupientem consulere conscientijs piorum, amantem veritatis, abhorrentem à monstrosis libidinibus, quæ parit cœlibatus, cogit autem verè Deum irasci vulgari scortationi & adulterijs. sicut inquit textus: Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Si quis autem propter opes & splendorem sacerdotum decrevit omnino defendere cœlibatum, quid cum illo disputemus, qui causam non veritate, sed utilitate metitur? Et callidis ingenijs non difficile est excogitare præstigias aliquas, ad eludendam quamvis perspicuam veritatem. Sed à iudicijs controuersiarum Ecclesie, remouenda est Sophistice, quam odisse omnes pios & graues viros ex animo decet.

SECUNDA OBJECTIO.

IN Lege abstinebant Sacerdotes à consuetudine coniugum, certo tempore, dum obibant suas functiones. Nunc Sacerdotes semper esse parati ad ministeria sua debent: Ergò semper abstinere debent. Sic est,

est, Non desunt cavillationes ijs, qui veritatem non
 amant. Vtitur hoc argumento Papa in distin. 82. Sed
 si volunt exemplum Legis sequi, cur in totum pro-
 hibent coniugium? Lex exiguo tempore consuetudi-
 nem coniugum interdixit. Quis est autem quem non
 ipsa negocia interdum domo abducant? Nec propter-
 ea in totum prohibendum est coniugium. Et So-
 phisticum est quod addit Papa, Cum sacerdotes sem-
 per debeant esse parati ad ministeria, semper abstine-
 ant. Concedit intervalla officium publicum, & pij
 sciunt, ubi consuetudo coniugalis moderanda sit. De-
 inde, non sunt oneranda conscientiaritibus Mosai-
 cis. Quare non est immundities, hoc est, res displi-
 cens Deo, coniugale officium, sicut Paulus inquit: O-
 mnia munda mundis. Canones quadam κακοζηλία &
 inerudita imitatione Mosaicarum ceremoniarum
 cumulaerunt superstitiones in Ecclesia. Eamq; κακο-
 ζηλία reprehendi necesse est, sicut & Paulus ad Gala-
 thas eam duriter taxat. Discamus fide in Christum
 nos sanctificare, & in bonis operibus obedientiam ver-
 bo Dei ordinatam & approbatam magnificiamus,
 meminerimus Deum velle nos verbo suo gubernari, nō
 eligere quamvis speciosa opera nostro iudicio sine verbo
 V Dei.

Dei. Nec dicam prolixius de hac obiectione. Breuiter enim ad Maiorem respondendum est, In Lege Sacerdotibus coniugium concedi: Ergo nec nostris prohibendum est. Interualla moderabuntur homines pij pro negocijs. Nec propter hanc causam iniiciendi sunt laquei conscientijs, nec prorsus adimendum coniugium.

Eodem modo diluenda sunt & multa alia obiectiones. Quidam aiunt, Sacramenta non contrectanda esse ab immundis. Iam si Sacerdotes essent mariti, saepe contrectarent sacramenta post coniugalem consuetudinem. Respondeo, ut iam dictum est: Scortatio est immundities, & verè displicet Deo. At coniugalis consuetudo non est immundities, sed opus ordinatum & approbatum verbo Dei, placens Deo. Et tamen pij moderari usum pro tempore norunt: Et negocia ipsa excutiunt bonis viris domesticas cogitationes.

Idem respondeo de dicto Esaiæ: Mundamini qui fertis vasa Domini. Propheta de vera mundicie hic loquitur, id est, de vniuersa obedientia, quam Deus approbat. Qui gestant vasa Dei, id est, qui docent Euangelium, qui regunt Ecclesias, habeant mentes non pollutas scortatione, & alijs sceleribus, sed agant pœniten-

pœnitentiam, Deo obediant, ut locupletentur donis spi-
 ritualibus, timore, fide, constantia, & cæteris virtuti-
 bus: Mundicies enim significat vniuersalem obedi-
 entiam, cum Prophetæ loquuntur de vera, non de cere-
 moniali mundicia. Deniq; hæc ipsa vox: Munda-
 mini, qui fertis vasa Domini, iubet ut sacerdotes a-
 gant pœnitentiam, fiant mundi mariti, nec se polluant
 deinceps scortatione, adulterijs, & alijs flagitijs.
 Quis autem non doleat conuiuere Pontifices & Prin-
 cipes ad vagas libidines sacerdotum, interea verò du-
 rissimè aduersari honesto coniugio? cum sit societas
 vitæ pulcherrima, instituta diuinitus, Deo placens, or-
 nata ingentibus miraculis à Deo. Primum enim præ-
 sentia Dei maximè conspicitur in generatione, forma-
 tione fœtus, in edendo partu. Hæc mira opera voluit
 Deus testimonia esse, quæ nos commonefaciant, ut sta-
 tuamus, nos non casu oriri, sed Deum autorem, &
 conseruatorem esse generis humani, idq; beneficium a-
 gnosci, prædicari, celebrari vult in hac societate, tan-
 quam in choro. Ideo enim homines ad societatem con-
 diti sunt, ut alij alios de Deo & eius voluntate doceant.
 Nec minùs lucet eius bonitas in nutritiõe, Lac gignit
 in maternis vberibus, ad alendos infantes, coniugibus
 U ij fœcun-

Breuiter
 Lege Sa-
 ris probi-
 es pij pro
 li sunt la-
 iugium.
 alia obie-
 atrectan-
 t mariti,
 em con-
 scortatio
 At coniu-
 bus ordi-
 deo. Et
 : Et ne-
 ogitatio-
 ndamini
 mundicie
 uam De-
 ui docent
 at mentes
 sed agant
 pœniten-

foecundat agros, & miro modo genus humanum alit.
 Addit & piorum Angelorum excubias, ut defendant
 parentes & liberos conflictantes varijs arumnis. Sunt
 & pueri maxima pars Ecclesiae, sicut inquit Christus:
 talium est regnum caelorum. Quanta laus est coniu-
 gij, quod Paulus inquit, Imaginem esse amoris, quo
 Christus complectitur Ecclesiam? Ut sponsus habet
 veras flammam, & ardet vero amore sponsae, letatur
 eius consuetudine, complexu, incolumitate, nullum de-
 trectat periculum, ut eam defendat & propugnet: Sic
 Filius Dei verè ardet amore Ecclesiae suae, delectatur e-
 ius officijs, eamq; vicissim complectitur, vult eam in-
 columem esse, ornat amplissimis muneribus, mortem
 pro ea appetit. Fuisset hæc verò in natura integra ar-
 dentior, sed purior, & Deum intuens, predicasset ipse
 beneficia: Nunc non prorsus extincta est, & pij
 regere eam fide debent. Quos quidem domestica con-
 suetudo ac suauitas admonere debet de amore Filij
 Dei erga Ecclesiam, & incendere vicissim ut ipsum a-
 memus, eiq; gratias agamus, quod aboleuit peccatum,
 quod propter ipsum hæc ipsa generatio fit mundum o-
 pus. Quoties coniugem piam pius maritus cõplectitur,
 quoties intuetur liberos, parentes, veniat in mentem
 amoris

amoris Christi erga Ecclesiam. Cùm sic affecta sunt mentes, & Dei beneficia agnoscunt & predicant, coniugalia officia sunt bona opera, Deo grata, & ut Paulus inquit, honore digna. Non enim leue preconium est, quod Paulus iubet coniugiũ honore affici, vult agnosci ordinationem Dei, hominum procreationem, nutritionem, defensionem, & cetera beneficia, & propter hac amari & laudari hoc vitæ genus, & Deum autorem celebrari.

Ac ut magis intelligi possit, coniugium esse pi- am & Deo placentem coniunctionem, valde prodest diligenter considerari & hanc rationem: Deus vult sexum sexui curæ esse, vetat sexum à sexu despici ac negligi, ideo dicit: faciamus ei adiutorium simile ipsi. Est igitur pium officiũ, curare alteram generis huma- ni partem, & hoc animo ducere & amare coniugem. Natura deprauatio est, negligere alterum sexum, de- spicere verò & contumelia afficere, superbia est propriè à Diabolo orta. Id autem vitium admodum vulgare est: Quidam putant se magis masculos esse, si superbe despiciant mulieres, si audacter conuicia dicant huic sexui, qualia extant multa in poëmatis. Et col- legit magnum aceruum Hieronymus contra Iouinia-

V iij num.

num alit.
defendant
anis. Sunt
Christus:
est coniu-
oris, quo
sus habet
, letatur
ullum de-
gnet: Sic
ctatur e-
t eam in-
mortem
tegra ar-
casset ipse
st, & pij
estica con-
nore Filij
t ipsum a-
peccatum,
undum o-
plectitur,
n mentem
amoris

num. Sic fortasse consueverat in declamationibus multa sine delectu congerere: Sed Christiano Doctore hac oratione nequaquam conueniebat. Opus Dei honore dignum est, sexus suam laudem habet, qui etiam si suam habet infirmitatē, propter generis humani lapsum, tamen non minor imbecillitas animi et consilij est in viris, in his negocijs quae viris Deus iniunxit. Aliquantō plures sunt bonae matres familiās, quā boni patres familiās, & multo melius educant & regunt paruos pueros, quā viri Respublicas. Jam in religione quantum decus est mulierum, quanta fidei constantia, quanta magnitudo animi in aduendis & perferendis supplicijs, ut historia Martyrum testantur. Haec laudes cogitanda sunt pijs & honestis ingenijs, & opponenda scurrilibus & impijs conuicijs huius sexus, & assuefaciendus animus, ut sexum veneretur, ac sciat furorē esse à Diabolo ortum, superbiam despicientem alteram generis humani partem.

Quare execrandi sunt Hypocritae, Pontifices, Cardinales, Episcopi, Monachi, qui cum suis libidinibus polluant totam rerum naturam, genus vitae diuinitus institutum, indignissimis contumelijs onerant, improbant edictis, legibus, tanquā tetrū facinus,
affici-

afficiunt capitali supplicio homines honestos ac pios, propter honestum coniugium, perinde ac si scelus atrocissimum punirent. Hac immanitas & saevitia propria est regni Antichristi, quod Roma ortum, grassatur in omnibus regionibus Christiani nominis, ubicunq; impia leges Pontificum Romanorum dominantur. Quae cum coniugium vocant immunditiam, meminimus hac virulenta conuicia à Diabolo oriri, sicut Paulus inquit, Prohibitionem coniugii esse doctrinam demoniorum. Hos igitur Canones cum sciamus esse doctrinas demoniorum, deleri prorsus oportuit, prohiberi vagas libidines, & reddi coniugium sacerdotibus, ut castè vivere possint, & bona conscientia Deum inuocare, & fungi munere omnium summo et difficillimo, explicatione doctrinae & gubernatione Ecclesiae. Rectè enim Pat. hnutius, qui ait, coniugium consuetudinem esse castitatem.

TERTIA OBIECTIO.

Facientur quidam eligi posse maritos ad munus sacerdotum, sed cœlibes electos negant post ordinationem posse ducere uxores. Scio hoc obijci nostris, sed est futilis & inanis cauillatio. Nihil enim

enim ex Apostolicis literis proferri potest ad eam confirmandam. Et refutari clarè veterum Synodorum sententijs potest. Dist. 28. in cap. Diaconi, inquit Synodus Ancyrana, Diaconos cœlibes, si postea euecti ad gradum superiorem ducant uxores, concedendum esse, nisi votum fecerint se non ducturos uxores. Tunc enim liberum erat cuilibet, facere aut non facere votum. Concedit ergo Synodus ordinatis ducere uxores. Et hic mos hodie manet in Græca Ecclesia. Ducunt uxores Presbyteri etiam post ordinationem. Idq̄, fatetur dictum Dist. 31. ubi legitur: Orientales in sacris ordinibus copulantur, ubi Glossa ridiculam interpretationem affingit, Copulantur, id est, copulato utuntur. Sed non est inusitata hæc sophistica in illorum glossis.

Unde igitur hæc persuasio orta est, ut post ordinationem nolint concedere coniugium? Romana Tyrannis est, quæ ut post ordinationem diuulsit coniugia vetera, ita non concessit noua: Deinde etiam pariter omnes ad eundem ad vouendum. Scio ab aduersarijs, qui literis Iuris pontificij utcunq̄, imbuti sunt, cum historias nullas norint, sæpe hoc dictum iactari: Posse eligi maritos sacerdotes, sed non posse concedi, ut ele-

eti

eti cœlibes post ordinationem ducant uxorem. Sed si
 quæras firmam autoritatem huius dicti, nihil ex sacris
 literis proferri potest. Et contraria exempla vetera &
 recentia græcæ Ecclesiæ opponi possunt. Non igitur de-
 terreri nos à veritate sinamus inani cavillatione, quæ
 non aliunde nisi ex iniusto more Romanorum pontifi-
 cum orta est.

D I G A M I A.

QUerunt etiam aduersarij de digamis, ut vocant,
 an si sacerdoti coniunx mortua fuerit, conceda-
 mus ut ducat aliam? concedimus. Nemini enim ido-
 neo prohibendum est coniugium, ut Paulus inquit ad
 Corinth. de viduis: Si non continent, contrahant con-
 iugia. Et alibi: Volo iuniores nubere. Ab his regulis
 non discedendum est. Nec vetus Ecclesiæ Græcæ pro-
 hibuit, quò minus sacerdos, mortua uxore, aliam du-
 ceret, sed ducentem remouit à ministerio. Id non est
 necesse fieri, sed illa ætas quadam superstitione secun-
 dis nuptijs etiam Laicorum fuit iniquior, ut ex Ter-
 tulliano in Laodicensi Synodo apparet: Quare non est
 mirum duriorẽ fuisse sacerdotibus in hoc casu. Cur
 autem idoneum ministrum ab officio remoueremus
 propter hanc causam, cum scripta Apostolica con-
 cedant

X

cedant

eam con-
 nodorum
 quit Syn-
 eucti ad
 endum ef-
 s. Tunc
 facere vo-
 re uxores.

Ducunt
 Idq̄ fa-
 in sacris
 interpreta-
 utuntur.
 in glossis.

post ordi-
 mana Ty-
 ulsit coniu-
 etiam pa-
 uersarijs,
 ut, cum hi-
 ari: Posse
 di, ut ele-
 eti



cedant ei secundas nuptias, ut dicta Pauli testantur, et coniugium sit genus vite piuum ac laudatum: Quod enim dicitur ad Timotheum & ad Titum: sit unus uxoris vir, vult Paulus honestum maritum esse contentum coniuge sua. Non prohibet, quo minus priore mortua ducat aliam. Nam & is, qui secundam priore mortua ducit, est unus uxoris vir, si coniuge sua contentus est. Quae esset impietas, propter superstiosam traditionem idoneos Doctores remouere à functione, cum magna iactura Ecclesiarum? Multis enim omnino defuturi essent pastores his remotis, alicubi surrogarentur minus idonei. Longè autem antefendum est ministerium Euangelij his traditionibus humanis non necessarijs.

QUARTA OBIECTIO.

CAuillatio est indigna refutatione, sed tamen recitanda. Reges possunt de rebus politicis suo iudicio decreta facere. Matrimonium est res politica: Ergo Regibus licet de eo decreta facere suo iudicio. Ut Rex potest tantum cœlibes ministros in aulam admittere, sic videtur posse constituere, ut tantum cœlibes præsint Ecclesijs. Breuis responsio est, Maior neganda est: Reges enim nec de politicis rebus decreta suo

suo iudicio qualiacumq; condere possunt, sed debent iustas leges condere, & sequi iudicium Dei, videlicet, ne condant leges pugnantes cum mandatis Dei. Politicæ res est forense iudicium, sed Regibus non licet leges condere, ut Iudex puniat innocentem, sine legitima cognitione. Habet suas metas Regum potentia, nec sumat sibi licentiam contra mandata Dei aliquid constituendi. Pertinent ad ipsos quoq; minæ cælestes: *Væ vobis qui scribitis leges iniquas. Nec exemplum de aulicis accommodandum est ad perpetuum cælibatum: Iniusta lex & hæc esset, si Reges prohiberent, quò minus aulici ducerent uxores. Quorsum est opus disputatione de religione, de iusticia, si hoc quod in Tragedia est, sequi volunt:*

sanctitas, pietas, fides,

Priuata bona sunt, qua iuuat, Reges eant.

Nos non de aulicis utilitatibus hic disputamus, sed de voluntate Dei, de emendandis moribus Ecclesie, de sanandis piorum conscientijs, ut Deum invocare & rectè colere possint. Nam mens sibi male conscia, quæ habet propositum peccandi, qualis esse solet in scortatoribus & adulteris, non potest invocare Deum, aut expectare à Deo auxiliũ, ut inquit Ioannes:

X ij

Si

antur,
: Quod
t omnis
esse con-
s priore
n priore
uge sua
erstitio-
functi-
is enim
alicubi
eferen-
us hu-

en reci-
iudicio
a: Er-
o. Ut
m ad-
m cæli-
rior ne-
decreta
suo



Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum. Item, Peccatores Deus non exaudit, Debent igitur & Principes & Episcopi tollere iniustas leges, quæ sunt fontes scelerum, & auellunt mentes à Deo. Non existiment se leuiter offendere Deum, cum iniusta vincula conscientijs iniiciunt, sicut Christus inquit: Vae vobis qui claves tenetis, nec ipsi intratis in regnum cælorum, & alios arcetis.

QVINTA OBIECTIO.

PAulus vituperat viduas, quæ electæ ut seruirent Ecclesijs, veteri Iudaico more, cum de publico alerentur, postea appetebant nuptias. Hunc locum multi accommodant ad votum, quia ibi dicuntur primam fidem irritam fecisse, quod interpretantur aliqui de violatione voti. Non respondebo callidè: Prima fides non de voto, sed de fide in Christum intelligenda est ut aliquanto superius loquitur, Si qua suos, & maxime domesticos non curat, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Vituperat enim Paulus mulierculas illas, quòd cum prius in egestate fuissent modestæ, & fideliter seruiissent, postea sumptu publico altæ, cœperint impudicè vivere, & negligere officium: Propter hos
malos

malos mores, inquit, eas fidem primam irritam facere, hoc est, excutere fidem, qua antea placebant Deo: Nam vera fides excutitur, cum conscientia polluitur.

Deinde si contendent de voto hic dici, ipsi multò gravius accusandi sunt, quòd obligant voto iuvenes, non senes, ut hic locus et aetatis mentionem facit.

Adhac si qua fuissent primis temporibus vota publica, fuissent sine superstitione, obligassent se mulieres illa ad serviendum Ecclesiae. At vota Sacerdotum & Monachorum recentia, fiunt cum impijs persuasionibus plurimis, sentiunt coelibatum esse cultum singularem, quo Deus fiat placatior, quem Deus flagitet, ut digne sacrificent. Ac sacrificium illud, seu applicatio Missae, est abusus idolatricus & omnino fugiendus & abolendus. Quare votum irritum est, quod fingit, coelibatum esse cultum singularem, ut dixi, & fit propter idolatrica sacrificia. Hæc est firma ratio, qua ostendit, sine ulla dubitatione hoc votum irritum esse. Fugite Idolatriam inquit Paulus. Id præceptum omnium summum est: Quare nec vota, nec ulla vincula valent, ut contra id præceptum faciamus. Iurabant & Eleusinijs initiati, se caeremonias eius fœderis seruaturus esse. Sed id iniurandum cum conti-




neret *Idolatriam*, fuisse irritum facile intelligi potest. Similiter de horribili *Missæ* abusu & connexis ceremonijs iudicandum est: Nam adplicatio *Missæ*, non est exigua aut levis prophanatio cœnæ Domini, ut suo loco dicitur. Sin autem vota fiunt ventris causa, hac hypocrisis non minus detestanda est.

Postremò, cum *Paulus* vocet prohibitionem coniugij doctrinam *Dæmoniorum*, etiam hoc vinculum voti, quo sine discrimine omnibus initiandis prohibetur coniugium, est ortum à *Diabolo*. Quare irritum votum ducatur, præsertim cum constet tam multa vitia inesse huic voto. Non fit sponte, fit ut sit cultus singularis, fit ut sacrificent, aut fit ventris causa, & fit ab omnibus qui initiantur, sine discrimine. Cum igitur sit doctrina *dæmoniorum*, & irritum & detestandum est.

Hactenus collegi ea, quæ in hac causa sunt præcipua: Nunc obtestamur omnes gubernatores propter gloriam Dei, hæc duo ut pijs animis considerent, videlicet, quòd *Paulus* inquit, Prohibitionem coniugij esse doctrinam *Dæmoniorum*. Item, quòd *Daniel* significat propriam *Antichristi* notam fore, coniugij contemptum. Multa autem hæc breves admonitiones complectuntur:

plectuntur : Si oritur hac superstitio à Diabolo , ac de-
 fenditur & propagatur ab Antichristo , necesse est e-
 am trahere ingentem ruinam. Quanta in uniuersum
 corruptela morum est cœlibatus ? Alia enim vi-
 cia ex alijs oriuntur. Maxima pars palam inquinata
 est scortatione & adulterijs : Hac efficiunt mentes
 prophanas & Epicureas , sicut Paulus ad Ephesios
 monet, libidines causam esse Epicurei contemptus Dei.
 Quis non detestetur , manifestam turpitudinem mo-
 rum in collegijs Canonorum in tota Europa ? Et ta-
 men hanc superant flagitiosa libidines urbis Roma.
 Quanquam autem semper pauci aliqui fuerunt , qui
 repugnare imbecillitati nature conati sunt , tamen
 multorum conscientia grauius sauciata sunt , & de-
 plorarunt lapsus suos multi beni viri. Iam hoc tempore
 cum Antichristi regnum oppugnatur , accedunt par-
 ricia. interficiuntur honesti Sacerdotes , propter pi-
 um coniugium. Nec vero dubium est, hanc iniustam
 seuitiam a Diabolo oriri, qui est homicida, et delecta-
 tur hoc spectaculo, sanctorum nece, & contumelijs di-
 uini nominis. Quid quòd hac lex de cœlibatu neruus
 est etiam reliqua impietatis Pontificia ? Magna
 pars impiorum cultuum, & luxus Pontificum &
 Collegio.

Collegiorum rueret, restituto coniugio Sacerdotum. Ideo multa atrocia scelera stabiliunt Principes & Pontifices, qui cœlibatum defendunt, assentiuntur Diabolo autori impia doctrina, muniunt regnum Antichristi, augent libidines, adiuuant parricidia, confirmant & reliquam idolatriam regni Antichristi. A tantorum scelerum societate abhorrere omnes, qui Deum timent, oportet, & legem Pontificiam improbare ac detestari.




Τῷ Θεῷ δόξα.

E R R A T A.

Pagina 16. linea 19. lege intexit. 24. 14. Presbyter. 29 11. nulum. 38. 5. ἱερεῖον 44. 5. non prohiberi. 59. 11. obstitit. 70. 12. procurrationem. 93. 17. sancti. 110. 23. autoribus.

F I N I S.





uidis Chytræi

PONSIO

ONII POSSEVI-

LONII CVIVSDAM

MINATIONES.

968h



u 126

E B E R G A E ,

eredes Iohannis Cratonis,

M. D. LXXXIIII,

Inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

